ANTONII KERKOETII AREMORICI

MASTIGOPHORVS, SECVNDVS, SIVE

ELENCHI CONFVTATIONIS, quã Claudius Salmaſius ſub ementito nomine Animad-uerſis Kerkoëtianis oppoſuit,

PARS SECVNDA.

PARISIIS,

M. DC. XXIII.

ANTONIVS
KERKOETIVS
AREMORICVS
CLAVDIO SALMASIO
S.

AVE, mi Salmaſi, vbicumque terrarum es. Neque enim Lutetiæ Pariſiorum adhuc eſſe te puto; ſi quidem primus meus ad te Maſtigophorus peruenerit. Quàm verò metuo, ne tibi, ex deſperatione, fugâ, vel latebris peius aliquid acciderit! Verùm age, fac te virum præbeas, & ad quæuis excipienda præſenti animo ſis, ac ſtrenuo.

Fortiter ex merito quidquid patiare, ferendum eſt.

En ſecundus hic ad te Maſtigophorus noſter aduolat; quem raptim, ac vix triduo toto deproperaui. Nam poſt priorem illum, quem acceptis duobus foliis confeſtim ad te miſi; alia mihi ex Typographi tui officina folia ſunt allata. Quæ cùm è veſtigio percurrens multo & frequentioribus, & grauioribus vi-

tiis ac ſordibus, quàm illa priora, inquinata cernerem: primùm illud miratus ſum, tantum te ineptiarum artificem eſſe, vt, quod nemo fieri poſſe crederet, inueniſſes tamen quid ad ſuperiores illas noui ex ingenio tuo poſſet accedere. Deinde quamuis, vt prioribus tibi meis ſignificaui, iam ad iter me compararem; tamen continere me non potui, quin tibi è veſtigio reſponderem. Itaque & veredario ſtatim proximam, ad quam ego condixeram, profectionem renunciari iuſſi; & quod in anteceſſum iam ei repræſentaueram perdere malui, quàm abs te hoc officij genere ſuperari.

Habebis hunc igitur à me, Salmaſi, teſtem voluntatis erga te meæ, & obſidem libellum. Quem ſi grato ac libenti animo ſuſceperis, cùm primum in patriam rediero, ac tuus ille, qui iamdudum expectatur, in publicum prodierit, duobus illis tertium breui comitem Maſtigophorum adiungam. Vale.

ANTONII

ERKOETII

AREMORICI

IASTIGOPHORVS,

SECVNDVS, SIVE

LENCHI CONFVTATIONIS,
uam Claudius Salmaſius Animad-
uerſis Kerkoëtianis oppoſuit,

PARS SECVNDA.

ERVICACIA SALMASII,
ac temeritas. Feſtus defenſus in
voce, fluſtra.

VID μικρολογία, & περιεργία tua p. 108.
ſtolidius? Tu de fluſtris rurſum
contra Feſtum diſputas? Miſer
Salmaſi deſinas ineptire. Putáſ-
ne tibi nos diobolari Gramma-
o credituros potius, quàm Feſto? Fruſtra
r te crucias, nobis vt perſuadeas; quod

nunquã facies. Fluſtra de malacia omninò capienda ſunt. Tua notio commentitia, & ignota Latinis. Quæ tu furta Petauio obijcis, ea ſe ſciſſe dejerat, antequam cuculus Salmaſius exiſteret; neque vtrum ea notaſſet nécne, ſibi fuiſſe curæ.

Ridicula Salmaſii ἀπορήματα. Tertullianus ab eius καινοτομίᾳ vindicatus.

DIco tibi. tuum obhumando non prætule-
P. 111. rim vulgatæ lectioni. At ineptè ridiculus es. Rogas ſegetes & gramina ecquam vmbram faciant. Reſponderem, ſi hæc homine digna foret quæſtio. An non aluei, hoc eſt fluminum viæ, quæ Solis luci hactenus expoſi-
P. 112. tæ fuerant, deſiccato, & obſito ſolo inumbrari dicuntur? Mirum ni Ouidium corrigis, qui de coma dixit: *humeróſque, vt lucus, inumbrat*. Atqui ſegetes, vel arundines, & id genus alia, comæ ſunt inſtar; & terra iccirco κομᾷν dicitur. Sed argutaris, *Cùm obumbrantur flumina, non amplius flumina ſunt.* An Tertullianus flumina dixit obumbrari, & non fluminum vias? Imo verò; *& fluminum*, inquit, *vias obumbrando*. Solue tu viciſſim & illud ἄπορον: Fontes cùm fluere deſinunt, fontes non ſunt. Male ergò & fontes cauillando mutari dicuntur; quia cùm cauillantur, fontes non ſunt. Ita falsò mori homo dicitur; quia mors in puncto temporis fit; & cùm moritur, homo

on eſt. Quàm futilis & puerilis eſt hæſi-
tio iſta! Si te pater tuus itidem, vt Gramma-
cas captiunculas, Dialecticam docuiſſet, ſciſ-
s, quod tyrones artis huius norunt: hæc
id genus alia per ampliationem, vt vocant,
ſurpari.

Neque vulgatam hac ex parte ſolicitauerim, P. 114.
um vt *in forma*, pro *infima* ſubſtituam.
uſtra vitiligas. Poſt diluuium enatantibus
uis mutauit orbis infima, id eſt τὰ κάτω μέρη.
eque dubium quin & priùs κατὰ τὰ ἄνω, quæ
uis fuerant obſita. Sed illud in altero καθ'
ἔννοιαν continetur. P. 117.

Poſtremo cœlum tegere locum aliquem
gas verum eſſe, pro eo quod eſt ruinis ac ci-
ibus opplere. Peſſimè. *Atqui cineres illi non*
elo, ſed à combuſtione, & materia, quæ combuſta
Stupidiſſimè. Nam combuſtio ipſa de cœ-
& à cœlo, id eſt plagâ illâ ſuperâ. Proinde
cineres ipſi.

---

id verſura ſit explicatum. Déque ea voce
almaſii inaudita & incredibilis inſci-
tia. Lex Gabinia de Verſura.

HOccine verò tolerabile eſt, vt qui Lati-
nè nihil ſciat, Latinos omnes authores,
atinitatem ipſam corrigat? Tu in halluci-
one tua peruicax contra Magiſtrorum au-
itatem obniteris. Non impunè. Maſti-
orum iám allegabo tibi, qui te ſilere, ac
ſere iubeat. Ain' tu verò confidentiſſime!

verſuram nihil aliud eſſe, quàm mutuum, vſurámque ſimplicem? Diceres ſaltem aliquando nihil ſignificare aliud: vt in Taciti illo loco non inuitus conceſſerim. At perpetuò id eſſe, quis ferat? Sed & ἀσύστατα, & ἀνακόλουθα, hoc eſt Σαλμασίεια garris. Tricari deſine, & me audi. Verſuram tibi dico propriè eſſe, cùm creditor vertitur, ac mutatur: hoc eſt cùm veteri creditori ab nouo ſoluitur. Hoc Grammatici veteres, hoc noui, præter te ἀγχίμμοτον, ad vnum omnes aſſerunt: imprimis Feſtus, Donatus, ac reliqui. Aliter Salmaſius iudicat: non dicto qui vir, qua barbarie, quibus ſordibus, qua rerum omnium inſcitia: hoc dico; vnus Salmaſius negat verſuram eſſe, quod cæteri omnes conſtanter eſſe dicunt. Nempe, niſi fatui ſumus, valere te iubebi-
P. 118. mus, καὶ οἰμώζειν μακρὰ τῇ κεφαλῇ. Grammaticos à te reprehenſos eſſe veteres, ais, qui verſuram eſſe dicerent *fœnus fœnoris*. Obſcurè, & impeditè loqueris. Clarius ac ſimplicius ij, quos modò nominaui; verſuram dicunt eſſe cùm creditor mutatur: cum mutuatitiâ pecuniâ vetus nomen expungitur. Donatus; *cum quis minore fœnore acceptam pecuniam maiore occupat*: quæ paululum eſt diuerſa notio, ſed à tua planè diſcrepans. Non dicunt eſſe τόκον τόκου, aut *fœnus fœnoris*. Sanè aliud eſt *verſura* propriè, quàm mutuum, fœnúſve ſimplex: & *verſuram facere* aliud, quàm *mutuam pecuniam ſumere*. Gabinia lex vetuit *ius dici de pecunia ſub vſuris ſumpta per verſuram*. Qua lege cautiores facti ſunt creditores; ne pecunias crede-

rent

rent iis, qui ad vſuras perſoluendas illis vti
vellent. Ita Cujacius Comment. ad Afric.
Tract. IV. An tu verſuram in illa lege putas
eſſe ſimpliciter mutuum, vel fœnus? Et quid
erit *pecuniam ſub vſura ſumere per vſuram*? Quid
bſurdius? Deinde Gabinia lex non prohibe-
bat vſuram: multo minus mutuum. In quo vi-
le quæ tua ſit ratio: *Verſuram propriè eſſe pecu-* P. 118.
iam, quæ mutua ſumitur, vt reddatur. Quaſi lex
la, quæ verſuram damnat, mutuum ſimplex,
uod tu vis eſſe verſuram, prohibeat, aut verò
x id vnquam vlla vetuerit. Sed nec vſuras,
i dixi, Gabinia ſuſtulit; ſed eas tantùm, qui-
us ad alias diſſoluēdas ſeſe debitores obſtrin-
bant. Cicero lib. V. ad At. Ep. XXV. *Salaminij,
n Romæ verſuram facere vellent, non poterant,
od lex Gabinia vetabat.* Ea lex centeſimas vſu-
permittebat, quas & Cicero ibidem Edicto
in prouincia ſe permiſiſſe cōfirmat. Atqui
nteſimæ, vſuræ ſunt. Non igitur verſura,
am lex Gabinia vetabat, idem eſt atque vſu-
quam eadem concedebat. Hîc manifeſtè
oor tuus conſtringitur: nec te vlla κρύψις
tergiuerſatio ab hominū ludibriis eximet.
ræter leuitatem, & ignorantiam nihil in
c obſeruationem contuliſſes, leniter caſti-
dus, ac dedocendus fueras. Nunc inaudi-
in re falſiſſima tuenda temeritatem, arro-
iam, ac Thraſonicam contumaciam ad-
ſti. Itaque lorariis, vt in tergum tuum
ant, plenum ius permittitur. Poſtremò
nnibus locis, quos adfers, ſolus ille Ta-
verſuram nōnunquam ſimplex eſſe fœnus

indicare videtur: quod non inficiamur: reliqui verſuram propriè mihi ſignificant. In Pliniano verò planè cæcutis. Elegãter ille verſurã domi facere, hoc eſt ab horto fœnerari ſcribit eum, qui vt gulę, tanquam δανειστῇ, ſatisfaciat, non ab alio, quàm ab horto ſuo mutuum accipit. Ita verſura propriè creditoris eſt mutatio.

Salmaſii inſcita reprehenſio, barbaries & ſtribiligo.

P. 120. FVlminaſtrum, te & Salmoneum dixi. Quidni? Nam in magiſtros detonas. Tu de re ac crimine ipſo ſecurus, de vocabulo mihi iraſceris; & negas Latinum eſſe. Nempe Latinum non eſt, quod à Cicerone vſurpatum XII Epiſt. ad Att. Ep. XLIII. Siquidem pro *fulniaſter*, quod vulgò iſtic legitur, veteres codices habent *fulminaſter*. Licebit, opinor, Salmaſio nouas in Latinitatem inferre voces: licebit *ponere veſtem*, vſurpare, pro *induere*; *mortuum ire*, pro *mori*; dicere *mortuu*, ξανθίζειν pro *coquere*, χλανίζειν pro *inſtruere*, *obumare* pro *aggerare*; *accendonem* pro *laniſta*: *caligas* appellare *ſoleas*: licebit & *ſcarabeum* vocare *lampetram*, *hoc tractum* efferre: nobis, quia Grammatici non ſumus, Ciceronianè loqui non licebit.

P. 123. *Ruſtare* pro eo quod eſt *ruſta excidere*, probares mihi, ſi authorem ederes. Tu Latinum, quod non eſt facere quî potes?

De cataclitis neſcio quid in fine quaternionis occœpiſti. Sed quoniam reliquæ paginæ non ſuppetunt, de eo plenius alter tecum Maſtigophorus contendet. *P. 125.*

Salmaſii audacia de replo, Petauius defenſus.

DE replo Petauij coniecturam improbas. Credo & ille tuã non probat. Vtri potius accredam? Hoc inter te & illũ intereſt; quod ille στοχασμὸν ſuum, vti par erat, στοχαστικῶς, & ἀπορητικῶς expoſuit, bono more, ac probis Criticis, & Grammaticis vſitato. Tu ineptè confidens, & promptulus addis ad frigidam ariolationem Palæmonis, aut Ariſtarchi ſupercilium. De Petauio primùm. Heus tu! Si quod illius coniectura à tua diſſidet, ideò imperitus, ineptus, & quiduis eſt denique: ergo & Turnebus, & Philander, & Daniel Barbarus, & Bernardinus Baldus; & quantum eſt Criticorum, aut interpretum Vitruuij, omnes hoc tuo Grammatico edicto ſtulti, ſtupidi, imperitique ſunt. Quis enim non à te diſſentit? aut quis frigidæ illi tuæ originationi, niſi tui ſimilis, applaudat? *Replum*, ais, *eſt quicquid replicatur; vt duplum eſt quod duplicatur.* Quis hoc præter te dicit? Quis probet? Oſtende id velle Vitruuium. Num ſola authoritate tua perſuadebis? Nam Petauij, vti dixi, coniectura, ſi eſt falſa, authori ſuo fraudi eſſe non debet; qui dubitando quid veriſimile eſſet expoſuit. *P. 193.* *P. 197.*

Tu ſine fronte, ſine cunctatione, Dictatoria ſcribis edicta.

Salmaſii paralogiſmus. Ruplus quid ſit: deque eo Salmaſii ſtupor.

P.194. QVam bellè porrò ratiocinaris! Hoc vis probare; deprauatum eſſe Gloſſarij locum, vbi legitur. *Ruplus* στροφεὺς χαλιάγρας καὶ ἀποψήκτιον. Ad id ἐπαγωγὴν iſtam admoues. ἀποψήκτιον eſt rutellus; rutellus diminutiuum eſt à rutro, alterum diminutiuum rutulus: rutrum, & rutellum idem eſſe docet Nonius: ſed & rutulus idem cum rutro, & rutello: At pro rutulo ſcripſerunt rutlum: vt vitlum alibi, pro vitulo; ſitlum pro ſitulo. Hæc argumentatio: ſequitur συμπέρασμα. *Ruplus verò ſcriptum in illis Gloſſis manifeſto mendo, & tralatio.* Hæccine eſt collectio? Hæc ex Dialecticorum regulis deducta concluſio? *Rutulus idem eſt cum rutello. Ergo Gloſſæ deprauatæ ſunt, & rutlus pro ruplo ſcribendum.* Feſtiuum caput. Vide quanto tuo damno, ac dedecore Grammaticæ fines egrederis. Nunquam magis ridiculus es, quàm cùm Dialecticum agis; quod tuus te, puto, pater non docuit. Vt te abſoluam; doce rutlum à Gloſſario pro rutulo vſurpatum. Nam ſi alibi vitlum pro vitulo dixit, non ſequitur vbiq; idem eſſe factum. Ruplum autem authorem Gloſſarij ſcripſiſſe vel ordo ipſe literarum, niſi ἀναλφάβητος es, admonere te potuit. Quippe

tera, p, vt ſcis prior eſt quam, t. Si rutlum
ribere vellet, poſt *Rutilat*, poneret. Etſi video
on ſemper ordinem teneri. Verumtamen
uſſæ nihil affers, cur eam vocem ſolicites.
nè à ῥόπαλον deriuari, vt coniectatur Peta-
us, multo eſt, quàm quod ſomnias, propius
rò: vt idem ſit hac quidem ſignificatione
tulus cum ruplo, nempè ἀπόψηκτον. Apud
iphanium ſcribendum putabat idem ῥυτλιά-
, pro quo librarius ῥυτλιάσας præter eius
ntem edidit. Hoc ipſum voluiſſe docet ſi-
lis vox; cùm poſtea à ruplus ῥυπλιάσας, non
λιάσας ediderit. Atqui in hoc ipſo Typo-
phico mendo caſtigando, quàm imperitè
flictaris! Rides quod à rutlus ſit ῥυτλιάσας, p. 195.
ſi Latinè eſſet *rytlus*. I nunc, & te vtriuſ-
linguæ ſcientia vectare perge; qui ignores
nomina à Græco detorta τὸ υ in Latinum
uertere. Velium Longum auſculta: *Verro*
co videtur, eandem eſſe apud nos v literam,
apud Græcos υ, namque his exemplis argumen-
: quod illi dicunt cyminum, nos cuminum;
κυπάρισσον, nos cupreſſum: illi κυβερνήτην, nos
natorem; nec non ex eiuſmodi, Theſeus Me-
us, Peleus, & ſimilibus adfirmat. Si nouum
mmaticæ ſidus audimus; imperiti ac ſtu-
unt Latini omnes, qui *gubernatorem, cu-*
m, Theſeum, Peleum dixerunt. Sic enim
e debuerant: *gybernator, cypreſſus, Theſeys,*
: tum à βυκάνη, *bycina*, non *bucina*. à πύξος
, non *buxus*.

hil magis Grammaticæ interfuit, quàm
ci. Adeo cordatus es literator ac peritus.

Mirum ni præ te quantum eſt Priſcianorum, Diomedum, Chariſiorum deſipiat. οἷος πέπνυται: οἱ δ' ὡς σκιαὶ ἀΐσσουσι.

Salmaſii in minutijs friuola defenſio.

P.198. SYcophantiæ, & impoſturæ Kerkoëtium nebulo futiliſſimus accuſat. Quæ ſit impoſtura illa paucis exequar. Scripſit in Notis ad Pall. Pag. 298. *Correximus, hiatus crinibus infarſus.* De hoc ita in Animad. noſtris: Iunius ita pridem legerat. An non id ita eſt? De ſententia tua & interpretatione nihil dixi: vanitatem redargui; quòd à te correctum diceres, quod ante te Iunius emendaſſet.

Item, P. 259. Notarum tuarum, de antiis, cùm interpretes de leoninis crinibus perperã interpretari dixiſſes, impudentiſſimi mendacij conuictus es. Nam Mercerus de Omphales crinibus accepit; nec diſſentit Iunius. Vtrum aliter quod reliquum eſt explicent, nihil ad ſtolidam ac temerariam tuam Interpretum caſtigationem excuſandam attinet. Nam de eo præcisè agitur, quod tu Interpretes ſcribis malè ad leoninos crines *antias referre.* Ita *ſolocẽ* Iunius manifeſtè adiectiuum eſſe cognouerat. Sed acutam tuam illam defenſionem non aſſequor. Vapulaueras, quòd in Notis pag. 266. virias docueras militares armillas eſſe, cùm ſint & mulierum: vnde & pro *viria*, legendum

utabas, *birus*. Num id à te ſcriptum negabis?
ſu ad hæc noſtrâ ſimpliciter ſic exclamas. P. 203
ua tibi mens, aut quæ frons tibi cùm hæc ſcriberes
ercoëti? neque quicquam purgandæ tuæ inſci-
æ cauſſa aliud adfers. An negabis te virias mi-
um proprias eſſe dixiſſe; ob idque *birus* re-
ſuiſſe? Sanè hoc imperitè feciſti. Et Ker-
ëtij frontem vexas, qui nullam habeas.
oſtrum illud, quod ludibundus aſperſi; *Se-*
æ, & forti conſtantiæ, pro vulgatis, *ne cane,*
forte, tuis omnibus emendationum quiſqui-
, & puerilibus obſeruationibus antiſtat.
rſus *ἀστοχίαν* tuam ſuper *deiectandi* vocabu-
de Tertulliani Pallio deijcio.

---

naſii φιλαυτία. de baxea meritò caſtiga-
tus. Tertulliani lectio ab eius cor-
ruptela vindicata.

Vis Grammatici ſupercilij inſolentiam P. 204
ferat? Salmaſius ecce *egregiam, & verè*
m Tertullianici loci emendationem à Salmaſio
tam dicit. Quid vanius? Ne cymbalis qui-
incedens ille, & in ſerico Philoſophus in-
r fuit: neq; iuſtius in Cloacinarum adyta
ëtis decreto relegatus eſt. Quanquã iſtud
nis cũ inepto quidẽ Philoſopho; ſed Phi-
ho, cõparo? Imo verò, cùm illo altero nõ
s ſtolido; ſed Grammatico, qui mũdi
alum audiſſe dicitur. Baxam tu in Notis
lium, *καλόπου genus calceamenti deaurati, &* P. 2[illegible]

muliebris eſſe docuiſti. Hoc ego meritò reprehendi. Quare puduit te. Ideo reuocas modò; & baxas non omnes deauratas fuiſſe; ſed aliquas duntaxat agnoſcis. Benè quod errorem corrigis. Si de Tertulliani loco tantùm illa dixiſſes, etſi me ſuffragatore careres, reprehenſorem tamen non habuiſſes. Nunc vniuersè pronunciatum & ridiculum eſt; vt fateris modò; & illîc à te ridiculè probatum. Quia Tertullianus lib. de Idol. dixit; *ſoccus & baxa quotidie deaurantur*; ideo colligis; *baxam calceum eſſe deauratum*. Quid cogitabas cùm hæc ſcriberes? Aut cur non & de omni ſocco perinde fas ſit colligi? Itaque quod hallucinationem agnoſcis, valde tua cauſſa gaudeo. Sed lepidus es. Prouocas me, alium vt ſenſum, ſi poſſim, expediam Tertullianei loci, qui abs te fœdiſſimè eſt acceptus. Non tam me abijcio, vti tuorum me verborum interpretem faciam. Quid enim præter *ματτείαν* affers? Rectius ſanè Iunius. Et ſenarius hîc apparet, quem tu deteris.

Calcare, niſi aurum, minimè Græcatos decet.

Salmaſii candor & ingenuitas; qui cerebri vacuum ſe eſſe confitetur.

QVIS credat Salmaſium ſuapte confeſſione cerebri ſe vacuum oſtendere? Dixeram hoc de te, cùm tu *tilias* ideo ab Tertul-

liano

ano abiudicares, *talias* reponens; quod tiliæ ihil niſi vincula ſunt ex tenuiſſimis membra-is. Hoc te ſi dixeris, cerebri vacuum fuiſſe on dubitas. *Sed vbi*, inquis, *dixit Salmaſius tiores debere eſſe tabulas, ideò tilias, quæ tenuiſ-næ ſunt huic loco non conuenire?* Primùm rele-e Notas tuas ad Tertulliani Pallium, pag. 336. vide quæ tua illîc argumentatio ſit, qua *ta-is*, non *tilias* legendum eſſe defendis. *Ti-is*, inquis, *Plinius appellari ſcribit ex tenuibus embranis, quæ inter corticem, & lignum tiliæ re-riuntur. Hoc ſenſu tilias heic dici nemo dixerit.* biicis & aliam *tiliæ* notionem, quam ei vo-bulo conuenire non putas: veluti quod *ta-las tiliaceas* ſignificet, quibus rugæ ſuffulcie-ntur. Sed hoc tiliarum voce cõtineri negas. que priorem tantùm ei tribuis, quæ Ter-liani loco non congruit. Ob id *talias* pro *is* ſcribi iubes. Nunquid ergo tua iſta col-tio eſt; propterea *talias* pro *tiliis*, apud rtullianum oportere legi, quod tiliæ nihil id ſint, quàm tenuiſſimæ membranæ? Hoc ixeris, vacuum te cerebri fuiſſe confiteris. cipimus ingenuam iſtam, ac candoris & ve-tis pleniſſimam vocem; & miramur, tan-n abs te verum exprimi potuiſſe. Age in nfutatione tua, num aliter argumentaris? am aliam cauſſam reddis, cur tu meritò *as* ſcribendum duxeris, niſi quod tiliæ mbranas tenuiſſimas, ac vincula ſignifi-t? Verba tua ſunt. *Atqui nec tiliæ tabulæ*; *ſed vincula tantùm: nec vincula omnia, ſed* P. 209 *ntùm, quæ ex tiliæ arboris membranis nectun-*

tur. At ego in Animad. pag. 77. tibi hoc obiiceceram: *Negas ſcripſiſſe Tertullianum, togam deduci in tilias; ſed potius talias; quoniam tiliæ nihil niſi vincula ſunt ex tenuiſsimis membranis. hîc autem latiores debent eſſe tabulæ.* Quare cùm non illîc modò; ſed in Confutatione tua eadem illa ponas, quæ à me refutata ſunt, quæque ſi tu ſcripſeris, vacuum te cerebri fuiſſe cenſes; apparet ille in te ſimplicitatis ingenuæ nitor, quo id, quod res eſt, ſine fuco ac fallacia profiteris.

Salmaſii captioſa fraus: tilia pro philyra: tunica pro membrana rectè vſurpata.

P. 211. AT etiã fraudulentus & malitioſus es. Tu rationis meæ vim, ac robur nequiter, & captioſè diſſimulas. Tiliarum nomen in Tertulliano haud improbandum ex eo conieceram, quod tilia idem ſit, ac φιλύρα: porro philuram Plinius vſurpauit pro longa, latáque tunica ſiue membrana. Oſtendi locum vbi ita ſumpſerit; non in lib: XVI, Cap. XIV, vbi de tilia ſola loquitur, eique tenues tunicas attribuit, è quibus vincula tiliæ vocantur. At ego locum illum Plinij ne nominaui quidem: ſed alium; vbi philyras accipit pro longis & latis membranis, ſiue tunicis, non arboris tiliæ, ſed papyri: libro, inquam, XIII, Cap. XI, *prætenues, ſed quam latiſsimas philuras papyri nominat.* Nam papyrum dicit, è quo chartæ fiunt, naſci in paluſtribus Ægypti, aut quie-

ſcentibus Nili aquis, altitudine duos non excedente cubitos: Ex hoc acu diuiſo in prætenues, & latiſſimas philuras chartam fuiſſe confectam. Scapus enim papyri, deciſa ſuperiori, & inferiori parte, acu; hoc eſt ferro quodam, bifariam diuidebatur: tum ambæ rurſum partes in tenuiſſimas membranas, quæ longiores quàm latiores erant, eadem acu conſecabantur. Eæ ferè viginti erant; quas membranas philuras appellat Plinius: Viri docti *tunicas*: vti Dalecampius in hunc Plinij locum: Scaliger Animaduer. in Guillandinum Membro x. *Ex papyro*, inquit, *charte preparantur tunicis à ſe inuicèm ſeparatis acu, aut ſimili ſcalpello.* Ergo philuras iſti tunicas, hoc eſt membranas, ſiue, vt Guillandinus vocat, bracteas appellant; ſchedas item, & ramenta: ex quibus recto, tranſuerſoque ſitu collocatis, ſtaminis inſtar, & ſubteminis, plagulę conficiebantur. Quamobrem vt imperitè ineptéque conflictaris in iſta voce! *Membrana*, inquis, *tunica non eſt, niſi quæ tunicæ vſum præbet, ut tunicæ inſtar habet.* In quo, & in cæteris uid muſſites neſcio. Hoc verò velle videris; unicas illas papyri membranas non rectè dici. bi iculariter, ac pueriliter hallucinaris. *Si ilyra*, inquis, *eſt longa, latáque tunica, omnes gæ, lataque tunicæ, philyræ poſſunt appellari. go & tunica, quam vos ſub pallio geſtatis, quia ga & lata eſt, etiam philyra appellabitur.* Iocari licet & facetus eſſe voluiſti. Quod adeo te n decet. Nam moroſè, &, vt idem ſæpius bum repetam, λυγαθρώπως ſcriptitas. Ne- P. 212.

mo à tuis libris diſcedit, niſi tædij, & nauſeæ plenus. Et tamen hîc facetias vſurpaſti; perinde atque anus armillas: aut vt Æſopicus ille aſinus herilem catulum, ac Melitæum æmulatus, calcibus inherum cōiectis abblandiri, ac mulcere voluit. Sed agnoſce vim argumenti tui. Si ſcarabeus eſt λαμπυείς; ergo omnes λαμπυείδες ſunt ſcarabei: adeóque lampetra, quam Salmaſius λαμπυείδα facit, eſt ſcarabeus. Nihil verius. Vt ſummatim complectar; docui te philyram longam & latam eſſe membranam, ſiue ramentum: philyram Latinè dici *tiliam*: Tertullianum proinde rugas togæ in tabulas deductas, appellare tilias, quod in longum latúmque porrectæ philurarum inſtar ſint, maximè dum apprimuntur. Tu ſententiæ huius veritate perculſus, ad alium Plinij locum, vbi de tilia ſermo eſt, Lectoris animum auocare ſtudes; & de illo, quem produxeram, ne verbum quidem feciſti. Nimis apertè callidus ac veterator es. Nunquam te tam aſtutum putaueram.

Salmaſii mendacium impudens.

MEndaciſſime! impudentiſſime! vaniſſime! vbi tua frons? Ten' Caſaubonum dicere non oſtendiſſe vmbonem centrum eſſe plicarum? At eius verba iſta ſunt. *Vmbo togæ, eſt centrum plicarum in toga. ſic enim lautiorum toga componebantur; vt corrugata in multa πτύγματα clypei ſpeciem præberet: cuius centrum propriè ap-*

pellatur vmbo. Quid in dubiis, obſcuriſque facies, qui in tam perſpicua re putidiſſimè mentiri non erubuiſti? An putaſti fore neminem, qui Caſauboni Commentarios legiſſet, aut eruendi ſaltem veri gratia locum illum perquireret?

Salmaſii ἐναντιολογίαι: barbaries, ac balbuties.

DE vmbone, & de tabulis togæ, neque te ipſe capis, neque quid velis, quiſquam mortalium extricare poſſit. Adeo vbique Salmaſius es: hoc eſt garrulus & inconditus. Oſtendi in Animaduerſis, tua ſecum verba confligere. Nunc ex Confutatione tua multò id clarius euidentiuſque monſtrabitur. Duo iſta contradictoria ſunt: *rugas eſſe tabulas*: *rugas non eſſe tabulas*. Item, *tabulas extra vmbonem eſſe*: *tabulas extra vmbonem eſſe nullas*. Tertiò: *tabulas eſſe quid in longum latúmque porrectum*: *tabulas non eſſe quid in longum ac latum porrectum*. Tua hæc & iis plura τῶν ἀντιφατικῶν paria planum faciam in tuis ſcriptis extare.

Primùm par contradictoriarum eſt: *rugas eſſe tabulas*: *rugas non eſſe tabulas*. Horum prius totidem verbis aſſeris pag. 211. *Hinc metaphoricè Tertulliano & tabulas, & talias dici togæ rugas, & ἐπιπτυχὰς more tabellarum in longum deductas: idque Græcorum imitatione, qui σχίζας, & σχίδας appellant eiuſmodi veſtium tabulata, ex rugis plicatis*

ſtructa. Quin & in Notis ad Tertull. pag. 339. ver. 4. talias cum tabulis idem eſſe doces. *Structura omnis rugarum, togæ in talias, ſiue tabulas reductarum ante & retro nodo quodã retinebatur.* Ita Pag. 337. *Talias*, inquis, *vocat rugas in longum deductas, ac directas, à ſimilitudine taliarum*: & pag. 338. *& talias vocat, quas infra tabulas duobus locis.* Itaque *taliæ ſunt tabulæ*: vtræque verò *rugæ in longum deductæ, ac directæ*; quæ prima pars eſt τῆς ἀντιφάσεως. Alterã tradis p. 216. Confut. vbi nos oſcitantię redarguis, quod à te non didicerimus, *quæ differentia fuerit inter rugas veſtis, & tabulas vmbonis.* Mox ſubijcis, *extra vmbonem nullas tabulas fuiſſe.* Si extra vmbonem nullæ tabulæ fuerunt; ſed in ſolo vmbone; rugæ autem extra vmbonem incipiebant; quod pag. 217 his verbis affirmas: *extra vmbonis ambitum tabulæ deficiebant, & incipiebant rugæ*: profectò tabulæ non ſunt rugæ: & tamen ſunt. ergo ſunt, & non ſunt rugæ.

Alterum par ἀντιφατικῶν indidem eruitur. Nam quod tabulæ extra vmbonem ſint, doces pag. 211. vbi ſcribis *tabulas & talias dici togæ rugas in longum deductas, ac directas*: vnde & talias, id eſt σχίζα appellari iubes; *quia tabulam ligneam Latini ſic vocant, & quicquid in longum ac latum ſecatur.* Rugæ in longum deductæ extra vmbonem erant. Tabulę ſunt rugę in longum deductæ: ergo tabulæ extra vmbonem erant. Conſule Dialecticos, quando nihil præter Grammaticam noſti. Dicent tibi ſyllogiſmum iſtum in prima figura, & quidem in *Barbara* eſſe diſpoſitum: imo demonſtratio-

nem eſſe, quæ ex confeſſis elicitur. Maior enim à te, Confut. pag. 217. exprimitur: minor pag. vti dixi, 211. Itaque concluſio procedit. Quod autem tabulæ extra vmbonem non eſſent, aſſeueras pag. 216. Confut. *extra vmbonem*, ais, *nullæ tabulæ fuerunt*. Fuerunt igitur extra vmbonem, & non fuerunt tabulæ.

Tertium, par contradicentium; tabulas quidpiam eſſe in longum latumq; porrectum, & non eſſe. Prior pars è ſuperioribus euidens eſt. Dicis enim in Tertullianeis Notis pag. 337. *taliaſ*, quas ſcribis eſſe tabulas, *eſſe rugas in longum latúmque porrectas*. Quod autem non ſint in longum latumque porrectæ, ita conficis. Quippe extra vmbonem ais nullas fuiſſe tabulas, pag. 216. ſed in vmbone ſolo: At vmbo non in longum, latumque porrectus fuit; vt ſcribis in Notis Tertullianeis pag. 343. vbi Marſilium obiurgas, quod vmbonem cum ſinu confudiſſet. *Id planè eſt*, inquis, *contrariam vocis vmbonis ſignificationi, quæ nihil quod in longum extenſum ſit, poteſt ſignificare; ſed ſemper tumorem quemlibet, & rotundam collectionem deſignat.*

Tum in Confutat. pag. 217. *Hic vmbo, vel vmbilicus orbis quidam, vt dixi, fuit, vel hemiſphærium, quod certo ambitu ac ſpatio rugas togæ ab humeris deſcendentes, & ab imo etiam aſcendentes in modum tabularum complicatas arctius, & congregatas in medio retinebat*. Quocirca tabulæ in longum latúmque porrectæ non fuerunt, & nihilominus fuerunt.

Quod delirium, quæ vecordia cum tua illa

tam inſigni, tam multiplici comparari poteſt? Rurſum narro tibi: quid ſcribas, aut quid tuis tibi verbis velis, profectò non intelligis. Nam quæ eſt iſta balbuties? Tabulæ, extra vmbonem nullę ſunt: Ideo nec in longum latumque porrectę. Atqui χίδα & rugę & talię dicuntur. Interroga puerulum quid tabula vel talia ſit, aut Gręculum quempiam tyronem, quid χίδα; an hemiſphęrium, vel globum eſſe, reſpondebit? Cui mortalium aliquando venit in mentem, hemiſphęrium eſſe tabulam in longum latumque directam? quis tabulam, quis taliam & χίδαν orbiculatum quippiam ac rotundum eſſe cogitauit? Soli hoc Salmaſij, hoc eſt fatui & inſani Grammaticuli, perſuadere ſibi poſſunt.

Explicatus Tertulliani locus, quem Salmaſius peſsimè accepit.

DIſce igitur à Kerκoëtio tuo, tabulas, ſiue tilias, nihil aliud eſſe, quàm rugas ipſas, ſiue πτύχας, quæ ab humeris ad centrum illud plicarum, ſiue vmbonem, & vmbilicum in longum latumque porrigebantur: in vmbone, quatenus rotundus eſt, tabulas eſſe deſijſſe: neque Tertullianum vmbonem appellare tabulatum; ſed totum illud rugarum ſiue tabularum σύστημα; hoc eſt togæ ipſius anticam poſticamque partem in rugas plicatam, quarum ſingulæ tabulæ ſunt. Eędem, inquam, & rugæ,

& tiliæ,

& tiliæ, ſiue tabulæ vocantur; rugæ, quatenus corrugatur toga; tabulæ, quatenus eædem in longum, latumque diſcurrunt. Porro verba illa Tertulliani: *Ambitum verò eius, ex quo ſinus naſcitur, iam deficientibus tabulis, retrahat à ſcapulis, & excluſa dextera, in læuam adhuc congerat*, nunquam intellexiſti. Perperam enim, *ambitum eius*, vmbonis eſſe putas. In quo multa & puerilia peccas. Vmbo tabulata eſt, vt vis, congregatio plicarum in vmbilici, & hemiſphærij modum, in medio togæ, tam anteriori, quàm poſteriori corporis parte. Quare quid, ineptius quàm admonere Tertullianũ, vt à ſcapulis vmbo ille retrahatur, qui in anteriori corporis parte media in toga ſedet? Scapulæ ſunt oſſa in poſterrori parte corporis, triangulari forma, quæ humeris proxima ſunt. quæ & pro tergo, ac tota illa auerſa corporis parte, quæ pectori reſpondet, vſurpari ſolent, Satin' igitur ſobrius es, qui Tertullianum dicis hoc in togæ indutu præcipere, vt vmbo ille, qui circa vmbilicum in medio togæ ſitus eſt, à ſcapulis retrahat? Periculum erat videlicet, ne à pectore ad tergum vmbo migraret: ſic quaſi mandes alicui, vt cum zona ſe cinget, retrahat à ceruice, vel cruribus. Ad hæc ſinus ex vmbone non naſcitur: ſi quidem eſt, vt ais; *lacinia togæ, quæ ſub humero dextro miſſa ad humerum læuum recurrebat, & obliquè tanquam balteus ducebatur.* Hæc lacinia ex vmbone non naſcitur. Præterea tibi ipſi contrarius es. Nam pag. 346 Notarum ad Pallium, hæc Tertulliani verba: *ambitum verò eius retrahat à ſcapu-*

Confut P. 216 et 217.

Not. Tertul. P. 346.

lus, &c. de ſinu interpretaris. *Sinus*, ais, *hoc eſt lacinia togæ, quæ ſinum efficit, à ſcapulis retractus, & dextram excludens, in læuum humerum conÿciebatur.* Ergo ſinus eſt qui retrahitur à ſcapulis, non vmbonis ambitus. Et tamen pag. 350 ambitum illum vmbonis eſſe dicis, qui ab ſcapulis retrahitur. Proinde tu vel contraria loqueris; vel ſinum ab vmbone non diſcernis. Quare *ambitus eius* ad togam referri debet, cuius lacinia, in qua nullæ iſtiuſmodi artificioſæ rugæ, ac tabulæ ſunt, in ſiniſtram reijcitur. Quod de ſinu, vmbone, ac togæ indutu, multis paginis loquaciſſimè diſputaſti, ſi vel tu ipſe capere, & explicare poſſis, dignum te regia, quam exambis, annona putabo.

Salmaſii æſtus, ac περθρεία, & inconſtantia ſuper caliga, quam cum ſolea confundit.

ET barbarè, ac turpiter in Tertullianeis Notis impegeras; & hîc porro, dum inſcitiam excuſare ſtudes, fœdiorem ac miſerabiliorem ruinam feciſti. Hoc tibi ſolenne eſt, vt dum errori patrocinari ſtudes, vehementius offendas. Quo non artificio, qua diſſimulatione, ac tergiuerſatione non, quoties apertiſſimè teneris, eludere, ac fucum facere ſatagis? Grammaticæ omnes næniæ; ac vocabulorum collectanea congeruntur: Ibi circunducere, ac per ambages fruſtrari lectorem præ-

cipuus labor eſt: vt ineptorum gloſſematum, futilium originationum, λεξειδίων grandine ictus, & attonitus, pedem referat.

Sed bene, quod in eum incideris, qui tuam illam τερθρείαν, ac κρύψιν, vt optimè nouit, ita paratus eſt ἀστεμφέως ἐχέμεν, μᾶλλόν τι πιέζειν. Hoc igitur agamus.

In Notis ad Tertulliani pallium multis mo- P. 22
dis peccaueras. Sed imprimis, quod pag. 356. & 357. caligam cum ſolea imperitiſſimè confundebas: tum quod inter Matthæum, ac Marcum ſtultum te conciliatorem interponebas. Ob id à Kerκoëtio meritò vapulaſti. Et agnoſcis tu quidem hîc errorem. Sed ne conuictus videare, quid non moliris? Apage ſtolidam iſtam pertinaciam. Quin tu potius quod res eſt, quod præter te vident omnes, hoc fateris, & veniam poſtulas? Impetrabis. Non faciam, inquis, & ſexcentis aliis hallucinationibus paucarum infamiam abſtergam. Nunquam obtinebis. Itaque & priores illas, & iſtas poſteriores hoc caput στηλιτεύσει. Caligas nemo eſt præter te, Salmaſi, qui neſciat multum à ſoleis differre. Soleæ plantas ſolas tegebant. Caligæ ad medium fere crus pertinebant. Peſſimè itaque, Pag. illa Notarum 357, cùm locum Caſſiani produxiſſes, in quo caligas pro ſoleis vſurpare, & à calciamentis ſeparare videtur; iſta ſubiungis. *Caligas vocat, τὰ σανδάλια, & ita verſio vulgaris reddidit. Gloſſæ: σανδάλιον, caliga. eadem igitur erat diff[illegible]tas inter ὑπόδημα, & σανδάλιον Græcis, quæ Latinis inter calceum & ſoleam.* Hæc tua verba; & Gloſſa-

rum iſte locus non ſtolido Lectori perſuadent, te caligas cum ſoleis promiſcuè accepiſſe. Quorſum enim Gloſſarium citares? At in Confutatione mirè æſtuas, vt captionum tuarum præſtigiis illudas. Sed quo magis ex hoc cœno pedem vellere conaris, eo te in altiorem voraginem immergis. Pag. 222. dicis te non ignoraſſe caligam à ſolea differre, neq; ambo iſta confudiſſe. Mox pag. 218. caligas eſſe ſoleas non ſolùm affirmas, ſed id etiam è Gloſſario, Iuuenalis interprete, & aliis probare niteris. Si caligæ ſoleæ ſunt; cur antea ſcire te dixiſti non eaſdem eſſe, neque à te confundi? Denique Pag. 231. rurſum ad prius illud reuerteris; non idem eſſe caligam cum ſolea. Itaque loca omnia, quæ, vt idem eſſe doceres, attuleras, corrigis, & pro *caligis*, *gallicas* reponis. Vnde ille tantus æſtus ingenij tui? Ais, negas, iterum aſſeris: diruis, ædificas. Cur tandiu fluctuaris, nec apertè quid ſentias, ingenuéque profiteris? Tanti fuit hallucinationem tuam tegere, vt malitioſus & impudẽs haberi, quàm erratum reuocare malles. Sed tuam illam tibi *γυητείαν* ac ludificationem excutiam. Aut caliga idem eſt cum ſolea, aut non eſt idem. Si eſt; malè id negas Confut. pag. 222. Malè authoritates omnes, quibus id affirmari videtur, tanquam deprauatas corrigis. Sin idem non fuerunt, erraſti ſcilicet, qui in Tertullianeis Notis idipſum adſtruxeras: tum multò fœdius Confut. pag. 228; vbi non ſimpliciter illud aſſeris, ſed etiam argumentis approbas. Duo illa *κατακεχαλκωμένα κέρατα* ſunt *κερόεντος*

Kerkoëtij; quorum vim & impetum euitare non potes.

Matthæi ac Marci conciliatio à Salmaſio allata reijcitur.

MAtthæi ac Marci conciliatio illa, quam adſtruis, non procedit. Et nihil tua minus refert, quàm vltra Grammaticam audere: in qua etiamnum rudis es. Caue igitur aliò te tranſdideris. Perſpicuam arbitraris eſſe pugnã P. 220
inter ambos illos Euangeliſtas, niſi arbiter Salmaſius intercedat. Scribit enim Matthæus Cap. x, 10, Chriſtum cùm Apoſtolos ſuos mitteret, vetuiſſe ne calceamenta, ὑποδήματα, haberent. *μὴ πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον.* Mar. vi, 9 permittit ſandalia. *ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια. Aut*, inquis, *σανδάλια aliud ſunt, quàm ὑποδήματα: aut cum Marco Matthæus ex diametro pugnantia ſcribit.* Tu de Marco ac Matthæo mentionem audes facere? Hos ſcilicet Salmaſius legit vnquam, qui per Priſciani manes deierat *κοδράντην* alibi quàm apud Marcum non extare. Dic mihi ῥάβδος éſtne idem quod ῥάβδος; Matthæus ecce narrat Chriſtum interdixiſſe ῥάβδον, hoc eſt virga: Marcus permiſiſſe virgam dicit. Aude ita concludere: *Aut ῥάβδος non eſt idem quod ῥάβδος; aut cum Marco Matthæus ex diametro pugnantia ſcribit.* Tertium ſi membrum adieciſſes, non malè ratiocinareris, *aut denique Salmaſius*

nugatur, quod tibi facilè omnes concederent. Hac te igitur virga μαστιγοφόρος noſter importunè os tuum ſacris libris inſerentem abiget; &, ſi pergis, malè mulcabit.

At enim ſi σανδάλια, & ὑποδήματα ſunt idem, præceptum illud Domini, quo vſus calceamentorum interdicitur apud Matthæũ, nunquam Apoſtoli obſeruarunt. Puta hoc ipſum & de ῥάβδῳ tibi à nobis obijci? Quid reſpondes? Scito igitur mandatum illud Matthæi x non fuiſſe perpetuum: ſed illius, quo primum mittebat, temporis proprium. Itaque cum ijſdem in Matthæi, ac Marci locis peram habere vetuerit, tamen Lucæ xxii, 35. peram comparare præcipit. Hoc dices interpretatione adiuuandum. Nos idipſum & de prioribus illis locis aſſerimus. Quare Theophylactus, in illum Lucæ locum, diuerſis temporibus non eadem Apoſtolis præſcripſiſſe Dominum obſeruat: prioraque illa ad prædicationis initium reſtringit. Alij aliter interpretantur; quæ omnia ex ſacrorum librorum enarratoribus peti poſſunt. Audires ſaltem Patriarchas tuos, Caluinum & Bezam; qui temporarium, & illius duntaxat, quo primùm miſſi ſunt, temporis proprium fuiſſe præceptum docent, de non habendis calceis. Addit Beza in Marci vi, ex eodem Marco, & Act. xii, 8, conſtare nullum inter ὑποδήματα, & σανδάλια diſcrimen Euangeliſtas agnoſcere. Tu in Caluinum, & Bezam Magiſtros, doctoreſque tuos, imo alteros opinione tua Chriſtos, impiè declamas.
P.226. Tu ſcuticam, & reſtim vtrique mandas. Tu

vulgaria factionis tuæ Biblia, quæ vobis ſacroſancta ſunt, proteris, & impugnas. Nam Act. XII hæc verba: *Et calcea te caligas tuas*, ita reddunt. *Et chauſſe tes ſouliers*: Quæ calceamenta non ſoleæ ſunt. Cùm tam proteruè in authores Hæreſis tuæ, & vniuerſam adeo ſectã graſſeris, impunè ſcilicet feres. Tibi dico: ſimulatque redierint Paſtores illi tui; qui ſibi bene eſſe, quàm ouibus ſuis malunt, dabis illius temeritatis, & impudentiæ pœnas. Quáre aut ſectam eiura; aut ad piſtrinum te compára.

Salmaſii inconſtans & volaticum ingenium. Apoſtolos habuiſſe caligas interdum, non ſoleas.

IVdæos, & Apoſtolos Græcorum more ſoleis, & crepidis vſos eſſe, vnde, Salmaſi, nos doces? An tu Hebræorum Commentarios, & Rabbinos legiſti; & ſcilicet Hebraicam linguam tenes? Cedo argumentum aliquod, vnde paſſim & communiter crepidas ac ſoleas geſtaſſe confirmes. Epiphanius, inquit, author eſt, Phariſæos & Scribas ἐν κρηπῖσιν inceſſiſſe. Tuum tibi reddo. Idem hoc ipſo in loco Phariſæos refert muliebria palliola geſſiſſe; Scribas verò colobia, & Dalmaticas habuiſſe. Num iccirco Iudæos omnes, adeoque Chriſtum, & Apoſtolos muliebrem cultum induiſſe colliges? Quid te, Salmaſi, imperitius? Quid argumentatione tua magis ἀσυλλόγιστον; Caligas P.126.

habuiſſe Petrum, hoc eſt σανδάλια, didicimus à Luca. Tu caligas non audes interpretari ſoleas; & qui hoc docere videntur, infimæ vetuſtatis quoſdam corrigis, & *gallicas* ſcripſiſſe vis, non *caligas*. Quare vel te fatente ſcimus Apoſtolos non ſemper fuiſſe ſoleatos. נעל Hebraicam vocem ſæpius *calceamentum* vertit authentica, vti loqueris, editio: interdum *caligam*: vti Gene. XIV, 23 ועד שׂרךְ נעל ἕως σφυρωτῆρος ὑποδήματος. Græci ſemper ὑπόδημα. Si verum eſt, quod ex tripode tuo Grammatico re-
Not. ſpondes: Græcos propria ac ſtricta notione
Tertul. ὑπόδημα, *Latinos calceamentum* pro cauis & à
p. 354. ſolea diſtincta calceis vſurpare, nempè vicimus; & Iudęis in vſu fuere ὑποδήματα, non minus ſaltem, quàm ſoleæ. Nam & vtrumque vſitatum iis fuiſſe, vt & Romæ, non dubium eſt. Iſa. XX, 2 נעלך תחלץ מעל רגלך. LXX καὶ τὰ σανδάλιά σου ὑπόλυσαι ἀπὸ τῶν ποδῶν σου. Quem ad locum Hieronymus calceamenta notat à LXX σανδάλια, *id eſt caligas*, vocari. Iamne vides quàm infeliciter caligam cum ſolea cōfundas, & σανδάλιον nihil niſi ſoleam ſignificare pro-
P. 223. nuncies? Tu caligam negas rectè dici ſoleam. Idem σανδάλιον non in Gloſſariis tantùm, quæ ex ſacris libris ferè notionem illam hauſerunt, ſed & ex authentica noſtra verſione, caligam eſſe non ignoras. Sequitur σανδάλιον non ſemper eſſe ſoleam, ſed etiam βαθὺ καὶ κοῖλον ὑπόδημα, & caligam intelligi: quod Grammaticæ, exiſtimationiſque tuæ ſecurus improbè negas; & aliâs tamen confiteris. Leuiculum & volaticum ingenium!

Sandalium

Salmaſii ineptiæ. Conciliantur Matthæi, Marci, ac Lucæ teſtimonia.

TV Capucinis, Foliantinis, & Carmelitis audes imprecari, homo nugaciſſime? *Væ*, inquit, *vobis, Capucini, Foliantini, & Carmelitæ.* Quid ita? quia pene nudipedes agunt, eóque facto ſe Apoſtolos imitari ſtudent. *Quid hoc*, inquit, *vos facere iuuat?* Quaſi niſi Apoſtoli ſoleati fuerint, nullum ex ea diſciplinæ ſeueritate fructum religioſiſſimi illi Patres habituri ſint. Tuum illud, tuum eſt, Caluiniſta Salmaſi, ac tuæ factionis dogma; qui ſola fide ſalutem nos conſequi, neque quicquam bonis operibus ad æternam vitam proficere cenſetis. Sed hoc tibi commune cum multis. Illud peculiaris inſcitiæ, ſtuporiſque tui; quod cùm vulgò Iudæos omnes ſandalia, hoc eſt ſoleas, more Græcorum, & crepidas geſtaſſe putes, Chriſtum tamen affirmes Apoſtolis mandaſſe, vti ne calceos, ſed ſoleas pedibus inducerent. Crediſnè Dominum cùm Apoſtolos Matth. x. & Marci vi. mitteret, iiſque cultum, habitumque præſcriberet, pro magno mandaſſe, vti ne alio quàm Iudæi cæteri calceatu vti vellent? Nonne demens & ridiculus es? Si Iudæorum nemò caligas adhibebat, ſi ſoleati vulgò omnes erant, quid attinebat hoc Diſcipulis, inter alia auſterioris diſciplinæ, nominatim præcipi, vt ne aliter

P.227. P.226.

quàm ſoleati procederent? Vetat peràm illos & baculum ferre; pecuniam prohibet. Hæc ſingularia, noua, minimè vulgaria ſunt. Inter hæc σανδάλια ferre iubet, adimit ὑποδήματα, hoc eſt, vt tibi placet, calceos, caligas, & cætera id genus. Quis pręter te non videt vti ſuperiora illa, ſic iſtud de ſandaliis duntaxat habendis, exquiſitæ cuiuſdam miniméque popularis diſciplinæ fuiſſe? Finge aliquem hoc tempore nouum in Galliis religionis ordinē inſtituentem, eum pręſcribere ſuis habitum, vt Italorum, Germanorúmve indutu, vel calceatu non vtātur; quis riſum teneat? Cùm igitur Chriſtus prędicandæ pœnitentiæ cauſſa per Iudæam ſolam deſtinaret Apoſtolos, profectò non magnum aliquid iuberet illis, ſi eodem quo cæteri calceorum genere vti permitteret. Quid tergiuerſamur autem? Apud Lucam ecce cap. XXII, 35. Chriſtus de eâdem illa Apoſtolorum miſſione verba faciens: *Quando miſi vos*, inquit, *ſine ſacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Vti ſuam illis curam prouidentiamque commendet, reuocat in memoriam quod experti iam fuerant, cum humanis omnibus deſtituti præſidiis; nulla re tamen eguerunt. Itaque *ſine calceamentis eſſe*, non idem eſt, atque communem cum cæteris & vulgarem in Iudæa calceatum vſurpare; ſed nullis prorſus vti calceis: aliquid denique præter vſitatum publicè morem & conſuetudinem. Quod præceptum iam monui illius temporis fuiſſe proprium, nec in legem tranſiſſe perpetuam. Sed vt dę Matthæi ac Marci εὐα-

ποφανειά quid ſentiam explicem, quorum ille *ῥάβδον* & *ὑποδήματα* Diſcipulis interdicta; iſte conceſſa narrat: valde ſuſpicor, duplicem illam, ac diuerſam fuiſſe miſſionem, quarum in priore, quam Mathæus refert, arctiorem rerum omnium inopiam indixit, ac velut tyrocinium quoddam Euangelicæ perfectionis periclitari voluit. Sic Iſaiæ cap. xx. Propheta iubetur aliquanto tempore *nudus & diſcalceatus* incedere, *γυμνὸς καὶ ἀνυπόδητος*. Poſtea denuò mittens de baculo, & calceis relaxauit; quam poſteriorem miſſionem Marcus expreſſit. Cõiecturam noſtram firmiſſimam Lucæ authoritas facit: apud qnem cùm Chriſtus dicat Apoſtolos ſine calceamentis eſſe miſſos, hoc de miſſione illa, cuius meminit Marcus, intelligi nequit; quoniam *σανδάλια* illîc habere permiſit; hoc eſt, vt Salmaſio noſtro videtur, *ſoleas*: vt ego interpretor, vſitata Iudæis calceamenta, adeoque caligas, & id genus reliqua. At ridiculum eſſet Apoſtolis velut grãde aliquod, & eximium paupertatis, & auſteritatis ſpecimen, mandari, vt proprio Iudęorum calceatu pedes tegerent. Prius illud in Matthæo præceptum non perpetuum fuit, quod ad *ὑποδήματα* ſaltem, & virgam attinet: ſed illius duntaxat miſſionis: poſterior ſandaliorum conceſſio pro Apoſtolorum arbitrio poſtmodum obſeruata.

Sandalium recte caligam in ſcripturis appellari. Salmaſius ex Polluce probat Chriſtum, & Apoſtolos muliebribus calceis vſos eſſe.

PErgamus verò; & quoniã in textrinæ, ſutrinæque ſordibus, libentiſſimè verſaris; atque hoc vnum ἐπιτήδευμα in omni vita tibi propoſuiſti, vt propria eiuſmodi artium vocabula ſcires, diſce parum ad hunc diem in eo te genere illiberalis ſcientiæ profeciſſe. *Omnes*, in-
p. 223. quis, *calcei, qui mero ſolo, hoc eſt plantæ tegmine conſtabant, & habenis religabantur, generis habebantur ſandalici.* Hoc falſum eſt. De ſandalio vtique abs te confeſſionem extudimus; etiam caligam ea voce comprehendi. Pollucem citas authorem. Nemo certius inſcitiæ tuæ iugulum petit. Imprimis, quoniam apud Pollucem σανδάλιον non quodlibet genus, ſed muliebre ſignificat. Ita, ſi Salmaſium auſcultamus, Chriſtus, & Apoſtoli muliebribus calceolis vſi ſunt. Nam & pag. 214. Pollucis teſtimonio probat diſcrimen inter ὑπόδημα & σανδάλιον eſſe peruetus, adeoque temporibus Apoſtolorum: ita vt iam tum σανδάλιον pro ſolea ſumeretur: vnde colligit σανδάλια Act. XII eſſe ſoleas. Proinde cùm apud Pollucem σανδάλιον muliebre ſit genus calcei, rectè id quod inferebam ſequitur, authore Salmaſio, Chriſtum muliebri ſchema proceſſiſſe. O vacuum cere-

bri caput, dignumque quod ſandalio comminuatur! Quòd Pollux ſandalij nomen ad genus calceamenti muliebris retulerit, loca illa demonſtrant, quibus ſandalij meminit: Lib. VII, cap. XXII. vbi ita mulier loquitur.

Σανδάλιά τε τῶν λεπτοσχιδῶν.
Ἐφ' οἷς τὰ χρυσᾶ ταῦτ' ἔνεστιν ἄνθεμα.
Νῦν δ' ὥσπερ ἡ θεράπαινα ἔχω περιβαρίδας.

Tum eodem capite, illis ipſis verbis, quæ tu citas, Tyrrhenica inter muliebria calceamenta numerat: nec non lib. x cap. XI. Quocirca nihil te Pollux ille Apoſtolicorum temporum ſuppar adiuuat; niſi vt ex eius authoritate conficias, Chriſtum cum Apoſtolis muliebriter calceatum fuiſſe; quod ex diuina tua Grammatica, & argumentandi modo ſequitur.

Iam ad Pollucem quod attinet, bifariam hallucinaris. Primùm quòd σανδάλια putas ab illo de ſoleis duntaxat accipi. In quo fugit te ratio. In illis verſibus, quos adduxi, λεπτοσχιδῆ vocantur; quod eſt, *tenuibus inciſuris diſtincta*: cuiuſmodi neceſſe eſt etiam ſuperiorem pedis partem, non infimam modò texiſſe; quales ſunt quos idiotiſmus noſter vocat, *des ſouliers deſchiquetez*. Alter & quidem loris, flagriſque piandus error; quod Pollucem dicis σανδάλιον ἀπὸ τοῦ ὑποδήματος diſtinxiſſe, vt Romani calceum à ſolea. Quippe capite eodem, cuius inſcriptio eſt ὑποδημάτων εἴδη, inter ὑποδήματος ſpecies σανδάλιον memorat, & exponit; velut etiam lib. x cap. XI. P. 223.

Quocirca ſtuporem omnem, & aſinitatem

ſuperat tua illa ſanctio. *Nam certum eſt ſemper*
P.223. *apud Græcos σανδάλιον, non pro omni calceorum genere fuiſſe vſurpatum, ſed pro illa modo ſpecie calceamenti, quæ infimas tantùm plantas tegit.* Ergo D. Hieronymus Græcè, Latinéque neſciuit, qui σανδάλια ad Iſaiam ſcribit eſſe caligas. Ignorauit & authenticæ verſionis author, quid eſſet σανδάλιον, cùm Act. XII. σανδάλια *caligas* reddidit. Falſò itidem Gloſſarium Latinogr. σανδάλιον *caligam* interpretatur. Poſtremò ad Salmaſij tribunal citandus eſt Cephiſodorus apud Pollucem, qui σανδάλια λεπτοχειδῆ vocat. Ad ſummam, liquet iam ὑποδήματα, σανδάλιον, *caligam* ex vſu veterum, præſertim ſacrorum Scriptorum, de quibus orta controuerſia eſt, promiſcuè ſumi: neq; σανδάλιον apud ſacros illos eſſe ſoleam, quatenus ſaltem de virilibus calceis vſurpatur: ac demum quod ais inter ὑποδήματα & σανδάλια Græcos antiquiores diſtinguere, id eſſe friuolum & ineptum. Quare & Interpres noſter rectè τὰ σανδάλια *caligas* vertit; & Caſſianus haud imitandus eſt, qui calcea-
P.224. menta Diſcipulis interdicta, caligas permiſſas eſſe ſignificat. Erras verò, qui *caligas illius authenticæ verſionis authori ſoleas eſſe*, pertinaciter affirmas.

Salmaſii coniectura duplex longe imperitiſſima refutatur. Milites ſoleati iam tum Traiani tempore. Salmaſiana contradictio.

QVæris cur caligas pro ſoleis illa ætas acceperit: De qua re negas te Kerkoëtium curare, quid cenſeat. *P.228.* Profectò nec multùm te curat ille; neque tuo interdicto mouetur. Nam neque continere ſe poteſt, quin *P.231.* tuam inſcitiam rideat, neque in tua poteſtate eſt, vt illum prohibeas. Primùm quæſtionis formula plena eſt obſcuritatis, & imperitiæ. Quam tu enim ætatem illam appellas? Veteriſne Interpretis? At eſt falſum caligam ab eo vſurpari pro ſolea. De hoc verò potiſſimùm ſcis inter nos ortum eſſe certamen. Verumtamen duplicem affers coniecturam; & in vtraque nullius te iudicij eſſe demonſtras.

Prior hæc eſt. *Olim milites altis, & profundis calceis, & totam tibiam veſtientibus vtebantur,* *P.229.* *caligas vocabant. Tunc ſi quis caligam pro ſolea accepiſſet, ſanè erraſſet. Poſtea milites ſoleis, & crepidis vti cœperunt. Has antiquo nomine, quo militare calceamentum vocabatur, etiam caligas appellarunt: inde caliga pro ſoleis.* Quod tu modô Kerkoëtium rogabas, vt quando primùm poſt Apoſtolos inter ὑπόδημα, & σανδάλιον diſtingui cœptum ſit, explicaret; idem abs te,

Salmaſi, ſuo iure poſtulat: Dic tu quando tandem putas milites crepidis ac ſoleis vti cœpiſſe? Hoc enim ad rem pertinet. *Ætate*, inquis, *Seruij milites crepidis inducti erant.* Quid ante Seruij ætatem? Nonne & crepidis vſi ſunt? Aio iam tum Traiani ſæculo crepidis ac campagis implicatos militum pedes fuiſſe. Docet hoc Traiani columna; cuius effigiem Alphonſus Ciacconius expreſſit. In ea plerique militum reticulatis calceis; ſiue campagis, aut crepidis munitos habent pedes, lora ipſa paululum ſupra talos ad extrema crura deuinciunt, & ſoleas continent. Alij caligati cernuntur; quorum caligæ ad cruris & pedis commiſſuram loro duplici conſtrictę ſunt. Veluti numero 6. aliàs ſimplici; vt in eadem icone. Viſuntur & soleæ, ſiue crepidæ ſimplices, quæ ſupra pedes ad crura reminimè religantur. Quidam ſolis calceis inducti ſunt. Quocirca non ab Seruij tantùm ſæculo crepidati eſſe milites cœperunt: vt muginaris. Et quidem Pollux κρηπῖδα ſcribit στρατιωτικὸν eſſe φόρημα lib. VII. cap. XXII: pro quo coniiciebam olim ἀστικὸν legendum: Sed nihil muto. Hoc ſi ita eſt, ſi tandiù antea crepidati & ſoleati milites fuerunt; vaniſſima eſt ariolatio tua. Neque enim caligas quiſquam ætatis ilius ſcriptor crepidas, aut ſoleas appellat, nec vllum tu, niſi ex infima fæce, nominas. Ex eadem denique columna planum eſt, hallucinari te cùm ſcribis, *caligas, & perones, & huius generis cæteros calceos, qui tibiatim calceabantur, & integra pelle crura velabant, nihil habenis opus habuiſſe.* Nam & caligæ illîc viſuntur

viſuntur duplici, aut triplici, aut ſimplici habena conſtrictæ.

Altera coniectatio ſtupiditatem tuam, & ἀκρισίαν breui compendio declarat. *Putaui*, inquis, *vbi caliga legitur in ſignificatione ſandalij, vel crepidæ, gallicam ſubſtitui debere. nam gallica ſandalij ſpecies: & leuis eſt mutatio ſcribere gallicam, pro caliga.* Age hoc tibi concedimus. Scribe *gallicam* vbicumque *caliga* pro ſolea vel crepida ſumitur. Iam ergo fruſtra teſtimoniis illis vſus es pag. 228, & 229, quæ caligam crepidam eſſe tibi perſuaſerant: & ad prius illud reuerteris; caligas pro ſoleis vſurpari non poſſe; cùm tamen dixeris: *caligas pro ſoleis ætatem illam accepiſſe conſtat.* Iocularis eſt iſta leuitas, ac temeritatis, & ignorantiæ comes perpetua. Itáne vecors, ac cæcus es, vt pro quibus tuendis paulo antè φιλονείκως, & calidiſſimè iurgatus fueras, ea nunc ſponte prodideris, & aduerſario, quod extorquere abs te ſatagit, vltro ipſe conceſſeris? Non malè fœneratam dices hanc gratiam. Docebo te nunc primùm quod neſcire te video; cur vtcumque caligæ ad crepidas referre inferioris æui ſcriptores quidam videntur.

P. 231.

P. 228.

Explicatur ratio, qua caligæ, ſi fortè, de ſoleis dici potuerint: in quo ridicula Salmaſii conflictatio.

IN illa Traiani columna multiplex calceamentorum forma delineatur. Quædam

enim ſolas pedũ plantas muniunt, & habenis ac loris reticulatis ſuperiorem pedis partem ambiunt. Hæ ſoleæ ſunt, ac crepidæ. Alia non minus reticulata partem cruris infimam habenis, ac loris vinciunt. Sunto illi campagi. Alia ſunt, quæ ad medium vſque crus; quædam etiam medium vltra porriguntur. Atque ex illis pleraque crura pedeſque penitus contegunt; quæ nihilominus, vti iam dixi, loris ſupra talos adſtricta ſunt. Ac nonnulla viſuntur eius generis, quorum pars illa, quæ pedi inducitur, non perpetuo corio conſtat: ſed ſuperius κάτλυμα ab ſolea diſtinctum, cum eadem committitur. Hæc calceamenti forma Romana propriè caliga eſt. Aliam obſeruauimus, quæ cùm medias ad tibias pertingat, non calceis, ſed reticulatis campagis pedes inuoluit. Cuiuſmodi ſane frequens occurrit. Itaque Alphonſus Ciacconius Num. 31. notat, *Caligas tegumentum eſſe tibiarum militare ad medias duntaxat tibias pertingens, nunc Latinis tibialia dictum*. Huius effigiem cernere eſt non ſolùm Numero illo 31, ſed etiam in 33, 97, & aliis multis. Vnde caliga pars illa ſolum dicetur, quæ crura cingit, reliqua campagus appellari poterit. Ad eam mentem exigendi ſunt, ſi qui caligam crepidam vocent: qui tamen aut nulli, aut perpauci ſunt, & inferioris ſæculi. Hoc modo dubitationi tuæ ſatisfieri poteſt. Si id in Grammaticis tuis collectaneis notatum reperiſſes, nemo τὴν ὀφρυὼ tuam ſuſtineret. Ex hoc diſce, quanto tuo malo Kerkoëtium à conſultationibus tuis arceas: quem

ſi ſæpius in conſilium adhiberes, næ tu prudentius, ac minus ridiculè ſcriberes.

Salmaſii ſupra omnem mortalium fidem craſſa, hebes, ac ſtupida ſententia, & Dionis interpretatio.

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι. Libet enim Grammatici noſtri κριτικὸν ἀνδραγάθημα, rarum, eximium ac ſingulare facinus poſteris commendare ſæculis. Pag. 230. poſtquam reconditam illam χρηστομάθειαν ex Grammaticæ ſuæ penetralibus eruit, Senatores relictis campagis ad caligas tranſijſſe; acutè imprimis & ſolerter tempus explorauit, quo primùm id Romæ factum. *Hoc*, inquit, *per bella ciuilia ſub Auguſto primùm introduci cœptum eſt.* Dionis id teſtimonio probat; qui Lib. XLVIII Senatores *caligatos* per illud tempus appellatos fuiſſe memorat. Non auro contra cara eſt obſeruatio illa Salmaſiana; ex qua diuinum hominis ingenium, & acumen æſtimare liceat. Dio loco illo ſcribit, abſente M. Antonio, coniugem eius Fuluiam cum L. Antonio fratre Marci aduerſus Octauianum Cæſarem comparaſſe bellum. Quod Octauianus videns, neque ſatis ad reſiſtendum virium habens, primùm per communes amicos, inde per milites, tum per Senatores pacem ac reconciliationem petijt. Sed fruſtra. Tandem ergo veteranorum militum fidem appellauit.

P. 230.

Pag. Edit. Vech. 363.

Illi frequenti agmine Romam in Capitolium venerunt: ibique recitatis Antonij & Octauiani pactis, ac probatis, Cæſari præſenti, & Fuluiæ, ac L. Antonio abſentibus diem dixerunt, qua die ad cauſſam dicendam præſtò adeſſent: ſe enim diſceptatores & arbitros futuros. At Fuluia & L. Antonius tergiuerſati ſunt, & cõſeſſum illum militarem per ludibrium Senatum caligatum appellarunt. ἐπειδὴ δὲ ὁ μὲν Καῖσαρ ἕτοιμος διαδικασθῆναι ἐγένετο, ἐκεῖνοι δὲ ὑπέσχοντο μὲν ἀφίξεσθαι, οὐκ ἦλθον δὲ, φοβηθέντες, ἢ καὶ ἀπαξιώσαντες (διέσκωπτον γοῦν σφᾶς ἄλλα τε, καὶ βουλὴν καλλίγαι. (al. καλίγων) ἀπὸ τῆς τῶν στρατιωτικῶν ὑποδημάτων χρήσεως ἀποκαλοῦντες.) *Cùm autem Cæſar paratum ſe ad experiundum iudicium oſtenderet; illi venturos ſe quidem polliciti ſunt; neque tamen venerunt; ſiue metu, ſiue contemptu (Nam & illos cum aliis nominibus; tum Senatum caligarum per ludibrium appellabant, à militari calceamenti genere.* Hæc Dio. Militarem illum conuentum, quòd caligis vteretur, caligatum Senatum Antonius, & Fuluia per iocum nominant. Salmaſius ex hoc loco conijcit, Senatores Romanos iam tum illo tẽpore caligatos fuiſſe. Quid aptius? quid ingenioſo hoc inuento ſubtilius, acutius, diuinius? Obſecro te, Salmaſi, paululum hoc apud te cõſidera. Tu nõ modò Kerkoëtiũ, ſed & alios ætatis huius viros, doctos Criticos, ſtupidos & imperitos nominare ſoles, ac præ te omnes nihili facere. Idem ne qua in rè hallucinatus videare diligenter caues, ac minima maximaque peccata tua mirifica quadam arte diſſimulas. Agedum itaque: prome aliquid

& expedi, quo te ab huius ſtupidiſſimæ, & aſininæ hallucinationis, ἀναισθησίας, & ἀκρισίας infamia purges. Negare non potes te ea, quæ commemoraui, Confutationis tuæ pag. 230 ſcripſiſſe. de Dionis loco nihilo magis dubitare licet. Scribit ille milites per ludibrium βουλὴν καλιγῶν, *Concilium caligatum* ab Antonio & Fuluia vocatos eſſe. Tu ex eo concludis, iam tum Senatores Romanos fuiſſe caligatos. Eſtne hic ſtupor eiuſmodi, vt ex quo tractari literæ, & in hominum manibus verſari cœperunt, nullus vnquam par aut ſimilis ei lectus, auditúſue fuerit? Quos igitur de te riſus fore deinceps exiſtimas? Quis iſta cùm leget, quæ vtique non paucos ſcis eſſe lecturos, tantam, tamque inauditam inſcitiam, ſtupiditatem, infantiam, & quid non denique mirabitur? cui non ſtomachum mouebit; eſſe in hac vrbe Grammaticum, qui cum tanta imperitia, futilitate, ignorantia confidat, annonam ſe regiam ex fiſco, eruditionis ac ſcientiæ nomine conſecuturum? O tempora, tempora! Sed reuoco me; & hoc tibi, quiſquis hæc legis, imo tibi tuiſque, Salmaſi, iudicandum relinquo. Non dubito, ſi vllus tibi reliquus pudor eſt, quin ſtatim atq; iſta legeris, quamprimum auoles, ſic vt nullum poſtride hac in vrbe tui veſtigium appareat.

Denique quid ex eadem obſeruatione tua conſequens ſit, non vides? Si enim per bella ciuilia ſub Auguſto, Senatores relictis campagis, quæ cum ſoleis & crepidis, &, vt aſſeris, σανδαλίοις genere ſunt idem, caligas vſurparũt; *P.* 229

ergo Scipionis & Ciceronis ætate crepidati Senatores erant. Quo quid abſurdius? Liuius L. XXIX refert P. Scipioni exprobratum fuiſſe, *quod in Sicilia non Romanum, ſed ne militarem quidem habitum* vſurparet; nempe quòd cum pallio & crepidis inambularet. Cicero Piſoni obijcit, quod ſoleatus inceſſerit: quod Ciceronis dictum Gellius Lib. XIII, c. XX commemorat. Nam Titus Caſtricius Senatores ſic increpat: *Soleatos tamen vos Pop. Rom. Senatores per vrbis vias ingredi, nequaquam decorum eſt, non herclè vobis minus, quàm illi tum fuit, cui hoc M. Tullius pro turpi crimine obiectauit.* Nihil igitur obſeruatione tua vanius, & imperitius, qui Romanos Senatores hactenus ad Auguſtum vſque ſoleatos & crepidatos fuiſſe doces.

Salmaſii turpiſſima, & ſtupidiſſima ἐναντιολογία.

PArum eſt, quod inſcitiam tuam manifeſtes, & ἀναντιῤῥήτοις argumentis conſtrinxerim. Faciam amplius; & tuo te iudicio ſuper illa de Senatorum crepidis obſeruatione, falſum eſſe monſtrabo. Scribis in Notis ad Pallium Tertull. pag. 345. ſtatuam illam togati Senatoris, quam vulgò ad Tertullianici loci declarationem exprimere ſolent, Ciceroniani, aut anterioris æui fuiſſe; quoniam togam præfert vſque ad calceos demiſſam, quod ſe-

culo illo duntaxat vſitatum fuit. Atqui eadem illa ſtatua, quam & Bayfius Lib. de re Veſtiaria, & Tertulliani Interpretes, & Roſinus, aliique propoſuerunt, non crepidas, ac ſoleas; ſed calceos exhibet. Vana eſt itaque coniectura tua; Senatores ad Auguſti tempora crepidatos fuiſſe. Vide quantum iudicij ad ſcribendum adhibeas.

Salmaſii ſtudia, & eruditio cuiuſmodi ſint, certiſſima coniectura, eiuſdémque ſtupiditas.

TV hebetem fingis Kerκoëtium. Salmaſi! Salmaſi! Nimis acer & perſpicax eſt. Μαντίαν eius audi. Ne veriora quidem iurabis eſſe, quæ ad Sagram. Olim genus eruditionis tuæ, ac ſtudiorum tuorum rationem animaduerteram. Ea ſuſpicabar eiuſmodi: Veteres te nullos, aut perpaucos authores legiſſe, præterquam, ſi forte, vocabularia, & id genus minutias: Hiſtoricos, ac cæteros ſolidioris doctrinæ Scriptores perparum attigiſſe: Recentiorum verò Commentarios, Animaduerſa, Varias lectiones, ac farragines ſtudioſè ac diligenter obiiſſe. Validum coniecturæ huius & inuictum argumentum habeo: quod quæ veterum, Græcorum ac Latinorum teſtimonia profers, ea ex iſtorum, quos dixi, recentiorum ſcriptis transferas: atque ideo, quâ apud illos fide notata reperiſti, eâdem &

tuis in commentariis deſcribas. Inde fit,
vt ipſiſſima menda, quibus cum antiquorum
loca illa in aliorum Notis ac ſcriptis expreſſa
ſunt, in tuis appareant. Non longè nobis
exempla repetenda ſunt. Qui vſqueadeò in-
ſcitè tractatus eſt à te Dionis locus, non eum
tu apud Dionem ipſum legeras, ſed apud Ca-
ſaubonum in Animaduerſionibus ad Sueto-
nium, Lib. II, quas tu ſcilicet, qui in eundem
Hiſtoricum Commentariorum neſcio quid
minaris, legiſſe debes. Nam apud Dionem
non ita conceptus eſt, vt tu in Confutatione
deſcribis, βουλὴν καλιγάταν, ſed καλίγαν, vel καλί-
γων. At Caſaubonis illîc καλιγάταν emendan-
dum cenſuit. Tu quaſi in contextu ipſo id
extaret, Dionis verba totidem, quot Caſau-
bonus excerpſerat, non plura deſcripſiſti; ſed
quod ille non fecit, ſolenni illa tua temeritate
καλιγάταν, non καλίγαν poſuiſti. Ex eadem in-
ſcitia profectum eſt, quod in Animaduerſis
reprehendimus; cùm tu Caſſiodori verba, quę
Lib. xii Var. apud Scaligerum in Auſonianis lectionibus,
Ep. xiv non apud Caſſiodorum ipſum legeras, ex Sca-
ligeriana coniectura recenſuiſti, *exorm:ſton Si-
culà*, pro *exormis tonſicula*. Hinc eſt etiam,
quod tu Epiphanij locum illum ex Hære-
ſi Catharorum cum prodigioſo ac ridiculo
Salm. commento tuo nobis exhibuiſti, vt hoc ti-
Not. bi veniret in mentem, quod neſcio an vl-
Hiſt. lus niſi fatuus cogitare poſſit; Nouatia-
Aug. nos bracis, & pedulibus caput obuoluiſſe;
P. 223 annulos in pedibus geſtaſſe. Cuius delirij
nomine

nomine cum ſexcento plagius vocari debueris, leuiter à Maſtigophoro noſtro vapulaſti. At vnde portentum illud ſtoliditatis, & ineptię? Nempe neque Epiphanium attigeras vnquam, neque illa apud eum verba legeras; ſed in Gloſſis Nomicis à Labbæo editis; ex quibus totidem verba tranſtuliſti; voce ὀβδονάεια. Quartò ad eandem ſuſpitionem inſigne eſt, quod in Voluſiana illa Amici ad Amicum epiſtola de Suburbicariis regionibus pag. 24. Euſebij teſtimonium adfers ex lib. VII Hiſt. cap. XXIV, de Aureliano Imper. qui ædem ſacram Catholicis adiudicauit. Quem tu locum non apud Euſebium ipſum; ſed in Anonymi Diſſertatione de Suburbicariis Eccleſiis pag. 53. lectum à te, cum eodem, quo illîc inquinatus erat, mendo tua in ſcripta traieciſti. Cùm enim Euſebius ſcribat τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον: tu quia Godefridus σῖτον pro οἶκον expreſſerat, idem lectionis vitium infarſiſti. Quintò denique μάντευμα noſtrum imprimis adſtruit locus alter, quem in Euchariſtico pag. 380. ex Euagrio lib. IV. cap. XI. citaſti: qui tuam infantiam, & ἀφέλειαν illam deprædicat. Scribit Euagrius Iuſtinianum Seueri αἱρεσιώτας ad Calchedonenſem Synodum amplectendam ſuppliciis adegiſſe. ποιναῖς τε μεγίσταις, inquit; ὑποτέθεικε τοὺς τὰ ἐκείνων πρεσβεύοντας δόγματα· ὡς ἐξ ἐκείνου περὶ μὲν τὰς ἑκασταχῆ διακειμένας ἐκκλησίας οὐδὲν ἔτι διερρωγὸς μεῖναι· ἀλλὰ τοὺς τε ἑκάστης διοικήσεως πατριάρχας ἀλλήλοις συμβαίνειν, τούς τε τῶν πόλεων ἐπισκόπους τοῖς ἰδίοις ἐξάρχοις ἕπεσθαι. Iuſtellus in Obſeruationibus ad Cod. Cano. Eccl. Afric.

pag. 53. hac Euagrij vſus authoritate, neſcio quid cogitans, ita mutilauit: ὑποτέθεικε τὸν ἑκάστης διοικήσεως πατριάρχας, &c. quibus nullus ſubeſt ſenſus. Nam ὑποτέθεικε ad πιναῖς refertur. Tu μέγας κάνθων, qui quid hominis eſſet Euagrius ignorabas, cùm de Suburbicariis Eccleſiis ſcriberes, illum ipſum locũ totidem verbis, quot à Iuſtello deſcriptus fuerat, in farraginem tuã inculcaſti. Hæc ſatis ſuperque πτωχείαν tuam, atq; arcanum doctrinæ tuæ detegũt. Si à Notis & Commentariis tuis exiles, & aridas vocularum ἀποσμιλεύσεις, aut βακχεύματα, & κορυβαντιασμοὺς exceperis, quicquid paulò reconditius & inſignius occurrit, quod rarius tamen eſt, quàm hieme tonitrua, totum id alienum & ex recentiorum Obſeruationibus interuerſum eſt à plagiario Salmaſio.

De mulleis Senatorum calceis falſa coniectatio Salmaſii refellitur.

P. 231. IRaſceris, quod ego diuinationes tuas & cõiectúras temerè non admittam. Tuo id quidem arbitratu. Nam ego te iratum vel placatum habere, hac quidem in cauſſa, tantidem facio. Sed à loris, ac minis tuis, quas pueriliter intentas, ad rem ipſam veniamus. *Ego tibi*, inquis, *nego Senatorum fuiſſe mulleos calceos*. Quî tandem? *Nam ex verbis Catonis conſtat ſolos, qui magiſtratum curulem cepiſſent, etiam mulleos accepiſſe*. Atqui illi ipſi Senatores erant; & ſi dex-

trè verba Catonis accipis, Senatus ex illis præcipuè conſtabat. Nam hæc ipſa: *qui magiſtratum curulem cêpiſſent*; non de iis intelligo, qui adhuc gererent, ſed qui aliquando geſſiſſent: cuiuſmodi à Cenſoribus in Senatum allegebantur. Vide Gell. Lib. III cap. XVIII. At Senatus bona pars eorum fuit, qui curuli Magiſtratu functi. Meritò proinde Senatorum calcei mullei dicuntur; non quòd omnes, ſed quod plerique ex illis geſtabant, & quidem ſoli.

Salmaſii candor, qui hallucinationem ſuam condemnat.

NVmquámne, Salmaſi, cùm ſcribes, apud te eris, & quid agas, ſeriò cum animo tuo reputabis? Quoties monui, vt quæ ex locis tuis communibus, & Grammaticis obſeruationibus publicum in vſum ſeligis, & effundis, ea maturius, ſi quid habes iudicij, conſideres; ſi non habes, aliis recenſenda prius offeras, quàm typis committas? Tu pugnantia, contraria, ἀσύςατα ſæpius ſcribis; & cum variis ex Lexicis, & Onomaſticis grandem tibi ſiluam, ac ſegetem Commentariorum paraueris, nullum delectum, prudentiam nullam, ac iudicium adhibes. Itaq; tua te identidem ſententia iugulas; atque imperitiæ, & hallucinationis arguis. Scripſeras in Notis ad Hiſt. Auguſtam pag. 410. *Calcei autem mullei à colore piſcis mulli appel-*

pellati, non à mullando, vt aperte oſtendit nominis figura. At in Notis ad Tertull. Pall. pag. 359. *Errant igitur, & qui mulleos calceos à colore mulli piſcis dictos, & qui mullo piſci nomen inditum putant à colore mulleorum calceamentorum.* Itaque tuo te iudicio erroris & hallucinationis damnas. Quod vtinam veris ac manifeſtis in erratis prudenter & ingenuè faceres! Nam quod originationem illam reſpuis, iniuriâ id quidem facis. Neque enim meliorem reponis; & iſta longe noua illa tua probabilior videtur.

Salmaſii ἀμάθεια, & inficetus ſtupor ſuper Cynici pallÿ duplicatione.

P. 233. ΔΈδοικά σ' ὦ Σαλμάσιε, μὴ πληγῶν δέῃ. ita tardus es, & parum proficis. Cynicum pallium διπλοῦσθαι credis eſſe laciniam pallij in ſiniſtrum humerum coniici. Falſiſſimum eſt. Pallium duplicari cùm dicitur, totum vtique, non ratione partis duplicatum intelligimus. Itaque Cynicum ſi expanderes, amplius erat cæteris: ſi duplicares, iuſta menſura conſtabat. Hoc dixi *longius*, quod eſt *amplius*. Nam ex dimenſionibus duabus, quæ diffuſior, ea longitudo plerumque vocatur. Tu de longitudine, quæ à capite ad pedes porrigitur, accepiſti; & videlicet homo facetus, & vrbanitatis ſale condîtus acutè nos tetigiſti. Tam ioci ac Veneres ad ſtylum tuum, & ingenium congruũt,

quàm ad aſini, vel clitellarij caballi ceruicem aurei torques, & gemmata monilia, vel ad Pantomimorum tuorum Catharorum capita, pedules, & bracæ. Sed ad rem: cùm tu pag. 234. ſcribis, *διπλοῦν ἱμάτιον Græcos vocare, quod ita amplum & longum eſt, vt in gerendo duplicari poſſet*; de qua longitudine accipis? an, vt tuis facetiis vtar, *duplo longius fuit, quàm commune, & tam longam caudam trahebat?* Miſer! in idem recidis, quod damnas; & longitudinem, vti ego, de amplitudine ac latitudine ſumis: atque hoc *balbutiem, & ſtribiliginem* appellas.

Salmaſii imperitiſſima Ariſtophanei loci interpretatio refellitur. Quid ſit πτύξαι ἱμάτιον.

NON concedam igitur tibi, Cynicorum pallium ea mente duplex vocari, quod eius lacinia vna in ſiniſtrum humerum reiiceretur. Hæc ingenij ac ſenſus barbaria eſt. δίπλωσις & πτύξις in hoc genere eſt, cùm totum pallium duplicatur, & pars non vna, ſed dimidia, ſuper partem iniicitur, Sic Ariſtophanis verba Scholiaſtes interpretatur, quæ tu imprudens affers. Strepſiades apud illum, Nubibus Dearum ſpecie venientibus, pallium prius duplicare cupit, ne perpluatur. P. 235.

Μήπω, μήπω γε, πρίν ἄν τουτὶ πτύξωμαι, μὴ καταβρεχθῶ.

Ad hæc Interpres: διπλασιάσας τὸ ἱμάτιον περιβαλέσθαι φησὶν αὐτὸ θέλειν ὑπὲρ τοῦ σκέπεσθαι, καὶ ἧττον

αὐτῷ καθικέσθαι τὸ ὑετὸν τοῦ σώματος. Poſtquam duplicauerit pallium, eo ſe amiciri v lle dicit, vt ſe tegeret, vtique pluuia minus ad ſuum corpus peruaderet. Prius duplicare vult quàm induat. Non igitur duplicare eſt pallij, quod iam induerat, laciniam in ſiniſtrum humerum coniicere. Hoc enim momento fieri poterat; neque propterea neceſſe erat moras petere; vt tandiù nubes aduentum ſuum, imbreſque differrent, donec pallium duplicaſſet. Bona fide, Salmaſi! ecquid oſcitantiam tuam agnoſcis?

Salmaſii in re Grammatica, & Chronologica inſcitia.

P. 235. NON melius Ariſtophaneum illud interpretaris, *ἐντετυλίχθαι ἱματίοις*, quod aſſeris de iis eſſe dictũ, qui pallium Cynico more amiciebant. Atqui *ἐντετυλίχθαι* nihil aliud eſt, quàm inuolui. Scholiaſtes, *τὸ δὲ ἐντετυλίχθαι, τὸ ἐναντίον γυμνοῦσθαι, οὐκ ἐγκεκαλύφθαι.* Huius contrarium dicit eſſe *nudari*. Eſt ergo ſimpliciter inuoluere ſe pallio, non duplicare pallium, Cynicum ad morem; cùm fortaſſe nondum Cynica ſecta per illud tempus exiſteret. Nubes enim in ſcenam produxit Ariſtophanes Aminia Archonte, anno II. Olymp. LXXXIX, Periodi Iulianæ 4291, decem circiter annis antequam Diogenes Cynicus naſceretur. Vixit enim Diogenes annis, authore Laërtio, ferè XC. mortuus eſt eodem anno, imò die, quo

magnus Alexander; vt refert Plutar. Lib. VIII Symp. Probl. I. Alexandri obitus conuenit in annum primum Olymp. CXIV. Per. Iulianæ 4390. Interuallum ab Archonte Aminia ad mortem Diogenis, anni centum. Ita decem annis antequam naſceretur Diogenes Cynicus, adeo iam Athenis propagata fuit ſecta Cynica; vt Comicus in Theatro publicè conqueri habuerit, quod iuuentus Attica Cynico more duplicaret pallium. Et ſi verum eſt, quod Laërtius refert, primum omnium Diogenem authorem fuiſſe duplicandi pallij, tanto ante quàm mos ille inſtitutus eſſet, paſſim Athenis pallia duplicabant. En iecur Criticum Salmaſij. Ita in Hiſtoria & Chronologia ſubactus eſt. Poſthac caue tibi à Chronologo. Nimium hoc genus acutum eſt. Quicquid in eo genere titubaueris, numquam ab illis tibi erit impune.

Falſa de Tertulliani loco Salmaſii coniectura.

QVocumque te vertas, efficies nunquam, *P.237.* vt de ſolo Cynico pallio Tertullianus loquatur. Quæ ad id argumenta comparas, ſcito eſſe leuiſſima. Quia dixit Tertullianus; *Pallio nihil expeditius eſſe, etiamſi duplex, quod Cratetis* *P.238.* *more nuſquam veſtiendo componitur:* ideo de ſolo Cynico pallio verba facit? Quid malùm, tibi vis cum tua iſta Dialectica? Niſi cùm iſta

ſcriberes, icto capiti feruor acceſſiſſet, numerúſque lucernis, profectò non ita deſiperes. Expergiſcere, & vide cùm dicit, *etiamſi duplex*; iis ipſis verbis oſtendere, ſe καθόλου de omni pallio loqui: quod & iſta ſignificant; *humerum vel exponit, vel includit*. Sed & illa: *Nihil circunſtringit, nihil circunſulcit*; ex æquo per te licet ad vmbonẽ tuum & nodum artificem referre, qui in toga ſtringit. Cùr enim id in *circunſulciendi* verbo tibi potius libet, quàm in altero, *circunſtringit*? Subiicis hæc Tertulliani: *Si quid interulæ ſupereſt*, vacat *zonæ tormentum*: Quæ non magis de Cynicis, quàm de Chriſtianis alio, quam Cynici, more palliatis, accipienda ſunt. Cur tu autem, pro eo quod in codicibus omnibus legitur, *ſupereſt*, in noua tua ἐκδόσει παρακεχαραγμένῃ auſus es ſcribere, *ſubter eſt*? Nam eoniectnra ſola eſt. Ego vel inuito te, malim; *Si quid interulâ ſupereſt*: hoc ſenſu; palliatos Chriſtianos, & frugales homines *ſuper*, id eſt, *vltra* interulam ſi tunicu-lam habeant, eam eſſe perbreuem; vti cinctu nihil opus ſit. Poſtremo friuolum eſt argumentum, quod ex illis adſtruis: *Soleo de qualibet margine, vel ara medicinam moribus facere*: quaſi ſoli id Cynici factitarint. Abi igitur cum tuis Cynicis, rabioſe Cynice, qui meliores te, ac doctiores allatrare, ac mordere non deſinis.

P.229. Quantum verò riſiſſe nos putas, cum tuum illud *ponere veſtem*, pro inducere in noua tua Editione legimus? Hanc enim lectionem iure præ cæteris, quàm carperet, Kerkoëtius arripuit, quam tu ſolam in tua editione poſueras:

In quo

In quo quãtum piaculum admiſeris, ac quantopere te apud eruditos traduxeris, tu ipſe iam ſentis, ac profectò quouis pretio iam Arcadicam illam vocem redemptam cuperes, ſi id eſſet integrum.

Falſa emendatio Salmaſiana reÿcitur, & Tertulliani vera lectio defenditur.

APage verò in malam crucem tuas illas emendationum quiſquilias; quarum me euebritorem appellas haud immeritò. Quid agas? hoc infelici fato natus eſt Kerкоёtius; imò literæ prius ipſæ; vt in Salmaſianas ſordes inuitæ ac mœrentes incurrerent, quarum tetrum odorem ac fœditatem non ſuſtinent. Sed ſcopis & euerriculis, quod iã inſtituimus, deinceps prouidebitur, vt in ſuum locum, hoc eſt adyta Cloacinæ Deę, cum authore ſuo mittantur. Tecum vt paucis tranſigam; aio temerarium te eſſe, minimèque tolerandũ, qui pro Tertullianeis hiſce; *nulli cippo in craſtinum demandatur*; non dubitaſti *cruci* pro *cippo* reſcribere. Abeat ſanè directa iſta correctio cum falſa tua interpretatione. Veram nos in Animaduerſis & lectionem & ſententiam defendimus. Diximus cippũ appellari quicquid illud erat, quo appreſſa, conſtrictaque quaſi neruo & ergaſtulo quodam attinebatur. Tu ad preſſoria ſola, quibus ſericæ veſtes nitere coge- P. 240

bantur nequicquam trahis. Hoc nolui: neque tu me Grammatico vllo interdicto potes cogere. Non enim ſplendoris cauſſa, ſed vt rugæ, ac tiliæ ſitum ſuum ſeruarent, compreſſæ ſunt togæ. Tu neque hoc refelles vnquam, neque quicquam aptius excogitabis.

Retractatur portentum hallucinationis Salmaſianæ.

P. 242 BEne eſt, quod hallucinationem agnoſcis. Accipio excuſationem, & in gratiam tecum hac in parte redeo. Sed quid eſt, quod me criminaris ſupponere. (Ita enim bellè ac Ciceronianè locutus es. *Hoc tu verum*, inquit, *ſupponis eſſe.*) Quid eſt, inquam, quod me dicis erraſſe tecum, ac credidiſſe, *mille ſeſtertia centum eſſe millia nummorum*? Repete Animaduerſorum locum. Ibi ego ſic inſcitiam tuam, & ἀλογιστίαν redargui. *Fac*, inquam, (non dixi, *ſuppone*) *centum millia numûm valere bis mille quingentos, &c.* Hæc ad hominem, vt vulgo dicunt, & vt balbutiem tuam tuis ipſis verbis vrgerem, ac reuincerem. Et quoniam hîc te calculi errore lapſum eſſe nonnihil perſuades, experire vtrũ eadem tibi proceſſura ſit excuſatio in turpiſſimis illis & prodigioſis hallucinationibus, quas in λεπτοῖς, ac denariis admiſſas à te Maſtigophorus prior expiauit. Repetamus ex omnibus illam, quæ pag. 40, & ſequentibus excutitur: Libet enim in ea obſeruatione tua com-

morari, quoniam ob inuenti nouitatem feſtiua eſt & inſignis. Simul hoc vereri me dixi, ne ob argumenti ſubtilitatem non ſatis vulgo perciperetur. Igitur tu denarium Romanum, ac veterem, qui paris ferè cum drachma, adeoque cum eo, quem groſſum aurifices vocant, hoc eſt vnciæ octaua parte, ponderis fuit, quatuor vnciarum pondus habuiſſe dicis, qui ſunt groſſi, ſiue drachmæ triginta duæ. Satis planè, & Latinè ſum locutus? Oſtendo id ſcripſiſſe te. Pagina Confutationis tuæ 91 in fine, & 92, dicis, in mina centum eſſe denarios, ſiue drachmas; quam minam *ἀργυρίων* appellari doces pag. 96, & 105. Eoſdem denarios, qui & drachmæ ſunt, ais Gloſſas Nomicas dicere pōdus habere libræ vnius, & vnciarum trium; vnde CCL denarij efficiunt follem librarum CCCXII, vnciarū ſex, qui ſūt *ἀργυρεῖ δύο*, ſiue duæ minæ, & ſemis. Locus extat pag. 104. Verùm tu Gloſſas iſtas pag. 105 ſic explicas, vt verum ſit quod aſſerunt, ſi aſſes veteres, qui in denario XVI erant, eodem pondere perpetuò fuerint. Atqui ſecus id habere. Olim, inquis, cùm aſſes in denario eſſent XVI, ſinguli quartam vnciæ partem pendebant. Nam quatuor aſſes vnciam efficiebant: at aſſes illi poſteriores, quorum ſexaginta denario imputantur, quartam partem duntaxat ponderis habebant veterum aſſium: hoc eſt decima ſexta pars erant vnciæ. Vnde conſequens eſt, quoniam in denario ſexaginta erant aſſes, ſinguli verò decimam ſextam pendebant vnciæ, denarium, ſiue drachmam pendere vnciæ ſexaginta decimas

ſextas, ſiue triginta octantes: quanquam pag. 106, tu ſedecim aſſes in denario, & ſexaginta quatuor in eodem denario quadrantes aſſeris fuiſſe, quos Plinius ſexageſimas denarij vocat, locis à te citatis pag. 92. In hac tota diſputatione luce clarius eſt, te de pondere denariorum & aſſium, non pretio, & æſtimatione loqui. Nam & cauſſam reddere vis, cur Gloſſæ pondus denarij ſtatuant libræ vnius & vnciarum trium: & pag. 107 ais ſingulos denarios vtique libram illam & vncias tres ponderis habituros, ſi aſſes veteres eſſent ij, qui ſexageni in denarium incurrunt: atqui *eiuſdem ponderis*, ais, *cum veris aßibus Romanis, qui quadrantem vnciæ efficiebant*, non erant aſſes iſti recentiores; ſed *quartam partem tantùm habebant aßis antiquioris*. De pondere igitur aſſium, & denarij, non valore loqueris: quod vel ex eo manifeſtum eſt, quòd Plinius loco illo à te citato, vbi ſexageſimas denariorum à nonnullis ad antidoti confectionem pręſcribi narrat, & ſubtilitatem miratur Lib. XXIX Cap. I. de pondere denarij agit, non de pretio. Huiuſmodi ergo ſexaginta quatuor quadrantes vnciæ denarium pendere vis, quos Plinius rotundum numerum perſecutus LX tantùm appellauit. Ita fit, vt ex tua Numaria diſputatione ſequatur illud: DENARIVS ROMANVS, SIVE DRACHMA ATTICA, PONDVS HABVIT SEXAGINTA QVATVOR DECIMARVM SEXTARVM VNCIÆ, QVÆ SVNT VNCIÆ QVATVOR, SIVE DIMIDIA MARCA. Ex quo & illud corollariũ infertur; quoniam λεπτὰ duo Viduæ erant

denarij, ſiue drachmæ totidem, cõieciſſe mendicam illam in gazophylacium Marcam argenti vnam, id eſt XXII Francicos noſtrates. Imòverò, quoniã tu λεπτὰ eadem ſexies milleſimam partem facis Talenti Epiphaniani & Heſychiani pag. 93 Confutat. & in Notis ad Hiſt. Aug. pag. 355, Talentum autem iſtud centum viginti minas habuit; fuitque Alexandrinum, vt ſcribis pag. 98: cuius drachmæ duplum erant Atticarum, ſiue denariorum: ſequitur λεπτὰ duo Viduæ fuiſſe quatuor denarios Romanos, ſiue drachmas Atticas: adeoque ex Salmaſii logiſtica; VIDVA, QVÆ MARCI XII MINVTA DVO IN GAZOPHYLACIVM PROIECIT, DVAS ARGENTI MARCAS DEDIT, QVÆ HODIE FRANCICIS CIRCITER QVADRAGINTA QVATVOR ÆSTIMANTVR. Mirificum te artificem oportet eſſe, Salmaſi, qui ex teruncciis duobus duas argentis marcas efficere poſſis. Quare quid tu annonam hîc ab Rege tandiu expectas, cum diuina illa arte Numaria tua momento Crœſi opes exæquare poſſis? P. 246
Hîc ego conuitia omnia miſſa facio; neque te ſtupidum, plumbeum, caudicem, aſinum vocabo, quas tu appellationes Kerkoëtio minitaris. Hoc vnum abs te petam, vt ea, quæ dixi, cum tuis ſcriptis patienter conferas; ac ſi verè tibi à me ſunt obiecta, tacitus apud te iſtud exigas, vtrum qui hæc, & alia duobus hiſce Maſtigophoris excuſſa ſcripſerit, ac docuerit, regia illa ex ęrario penſione dignus ſit; an illud gratulari potius, ac bene ſecum agi putare debeat, ſi cum ſarcinis & auriculis ſaluus & inco-

lumis ab Vrbe, & à puerorum manibus paternam in domum euaſerit.

De promulſide Salmaſii refutata ſententia.

P. 243 DE promulſide ſolâ mecum authoritate tua pugnas. Neque enim aliud præter Salmaſij χρησμόν, & Grammatici tripodis effatum in medium attuliſti. Tu promulſidem vis eſſe vas; inde ad ipſam guſtationem transferri. Ego propriè id quod vaſe continetur; tranſlatitiè vas eſſe dico. Quid autem aſello tibi (tuo dicere volui) cum promulſide? Neque enim ad iſtas lautitias labra illa faciunt. An non promulſidem pro vaſe dixi nonnũnquam vſurpari? Hoc modo & cum aſello quadrabit. Piſces

P. 244 pro foro piſicario nõ dixi Latinè dici, ſed Græcè id vſurpatum memini apud Eurip. in Oreſte, & Theophraſtum, Ethicis Charact.

P. 244 Tu mihi lorarios, & aſinarium forum: ego tibi denarios pondere vnciarum quatuor; ego caligatos milites in Senatores ſubitò à te transformatos; ego minuta duo totidem Marcarum argenti taxata pretio: ego mille ἀπλογίας, ἀλογίας, ſtribiligines, barbariſmos, paralogiſmos, ineptias, ſtoliditates, ac reliqua ſtuporis extremi, & aſinini deliria profero. Hæc tibi pro loris, proque flagris omnibus erunt; quorum vel ſola cogitatio, famęque iactura, quam ex tanta inſcitia miſerabilem ac ſempiternam

feciſti, dies te noctesque lacerabit; neque partem vllam quietis capere, aut in hac conſiſtere Vrbe patietur.

Salmaſii λυκανθρωπία.

CRuciat te, quod λυκανθρώπως & moroſè te dixi ſcribere, & de reipſa quidem contienis mecum: neque enim eo te ſcribendi genere negas vti; ſed de vocabulo mihi leuiter iraſceris, quod λυκανθρωπικῶς ſcribere debuerim. Placet. Igitur λυκανθρωπικῶς & moroſè tu ſcribis. Et nonnihil interim Grammatica tuâ macti fuimus. Didicimus ex te, quod quantum eſt hominum hactenus ignorarunt, erraſſe omnes, qui φιλανθρώπως, μισανθρώπως, & id genus alia locuti ſint. An ignoras λυκάνθρωπον dici, qui & μελαγχολῶν, hoc eſt atra bile percitus, furit? qui eſt ipſiſſimus ingenij tui, ac ſcriptionis character. Fateor hunc hactenus antiquis ac nouis Rhetoricæ magiſtris ignotum fuiſſe. Ideo tu fruſtra apud illos quærebas. Debemus hoc ætati noſtræ, tibique Salmaſi, nouum & inauditum τῆς ῥητορείας genus; quod nemo ante te cognouit aut expreſſit; nemo, qui te imitari volet, aſſequetur. P. 247

Salmaſius lampetram ſcarabeum aut vulpem eſſe iubet.

P.248 IN lampetra mirus es præſtigiator, tu ſcarabeum modò faciebas; nunc iubes eſſe vulpem. *A nitore*, inquis, *& fuluo colore, vt videtur, ita vocata eſt vulpes*, nempe λαμπνεὶς. Sanè, vt lubet. Caſſiodori verò locum, vbi *exor-*
P.245. *miſton Sicula* ex coniectura Scaligeri legitur, iam dixi te apud Caſſiodorum minimè legiſſe, ſed apud Scaligerum. Neque enim bonos illos authores legere curaſti; aut per Vocabularia tua, & Grammaticos tibi hactenus licuit.

Salmaſii puerilis ineptia.

P.253. QVid, inepte, recõditum eſſe putas, quod antequam naſcereris nemo paululum rei numariæ ſciens ignorauit; Seſtertia dici, ſubaudito nomine pondo; hoc èſt eſſe libras duas cum ſelibria? tum illud: Seſtertios cùm dicunt, intelligi numos? Nam & frequenter ea vox additur; & ſeſtertij numi non raro coniunctim dicuntur. Credo igitur magnum feciſti; quod nos ea de re monuiſti; quam ſine Diatriba tua de re Numaria olim nouimus. Quid tu verò rem Numariam explicaturum

te nobis oſtendis ? aut quis à te iſta deſiderat ? Profectò quid de tua iſta lucubratione ſperandum ſit iam in eo capite monſtraſti, quod in priore Maſtigophoro caſtigatum eſt : quod quidem quantum quantum eſt, ex inſcitia, & vecordia conflatum eſt. Sed ſi rei Numariæ diſputandæ poteſtatem à me tibi fieri vis, ea lege remittam, prius, vt illa, quæ fatuiſſima eſſe iam profectò vides, retractes, & corrigas: aut è Grammatica tua validius præſidium aduoces; vt poſteris perſuadeas, *Denarium vnum pondus habuiſſe vnciarum quatuor*. Item *in* cxx *minis aſsium millia fuiſſe ſex, cum ſingulæ totidem aſſes habuerint*. Doceas nos inſuper, Matthæum Euangeliſtam non eſſe, qui κοδράντην vſurparit; cùm ſolus ex Euangeliſtis Marcus ea voce ſit vſus. Tum denique cùm tu pondus inter numorum, & pretium ſcies diſcernere, rem Numariam attinges. Antea ſi quid conaberis, edico tibi; non eſt quod deinde cauſſeris te non eſſe monitum. Nam flagra & vibices video tibi à Maſtigophoris parari.

Maſti- gophorus I.

Salmaſii ἀκαθαρσία.

TV nihil niſi Cercopithecos, niſi ſcarabeos, & ſtercora habes in ore, Salmaſi! Vnde hæc oris impuritas ? Malle te dicis Cercopithecum eſſe, quàm Kerkoëtium. At ego vicem non referam : neque te dicto vlciſcar, aut πίθηκον appellabo; qui quia κέρκον non ha-

P. 254.

bet, ideo quod honeſtius tegitur oſtentat; quod tu in bella emendatione illa feciſti, propter quam imminere tibi à magiſtellis verbera conteſtabar. Sanè πίθηκος lepida beſtia eſt; nec ad tuam moroſitatem, & λυκανθρωπίαν facit.

Salmaſii ἀβλεψία.

P. 254 AEſopum vtrumque togatum non fuiſſe, vnde quæſo te, Salmaſi, didiciſti? Fac enim Græcæ ac peregrinæ originis fuiſſe; an ideo ciuis cùm factus eſt, pallium toga nō mutauit? Hoc te video non ſolùm in Notis ad Pallium; ſed etiam hoc loco repetere: quod inter hallucinationes tuas non poſtremo loco numeramus.

Epilogus ad Salmaſium.

HActenus Confutationi tuæ obuiam eſt itum; quantum & per temporis breuitatem, & foliorum, quæ habere potui, paucitatem licuit. Ea ſunt numero ſeptem: in quibus authoris ſtoliditas cum ſtupore, & imperitia certat. Dicere hoc, Salmaſi, non poſſum; vtra ſit in te maior; temeritas & ἀλαζονεία, an ignorantia, àc rerum omnium etiam communium inſcitia. Hoc ne iracundè magis & impotenter à me, quàm verè dictum putes ipſe, vel qui tibi amici ſunt, breuem hîc

Indiculum præcipuarum hallucinationum, & ineptiarum, quas in paucis Confutationis tuæ paginis caſtigaui, tibi ob oculos ſubijciam, vnáque & vtriuſque Maſtigophori noſtri paginam adnotabo; vbi illa diſcutiuntur.

Indiculus præcipuarum hallucinationum, & errorum Salmaſii, quos in ſeptem Confutationis folijs vterque Maſtigophorus caſtigauit.

I Denarius vetus Romanus, & drachma pondus habuerunt vnciarum quatuor. Maſtigophorus I, 40, 41, 42. & Maſtigophorus II, 59

II Minuta illa Viduæ duo, quorum Marcus meminit Cap. XII. pondus habuere ſimul marcarum argenti duarum; pretium autem ferè XLII Francorum noſtratium. Maſt. I 45, & clarius in Maſt. II

III In minis cxx non plures erant aſſes quàm in vna; nimirum ſex millia; quamuis & minæ, & aſſes eiuſdem vtrobique generis ſint, ac ponderis. Maſt. I. 38, & M. II

IV Viduæ λεπτὰ erant denarij veteres Romani, ſiue drachmæ, & tamen non erant; & id genus alia contradictoria Maſt. I 28, 29, &c.

V Pondus nummorum cum pretio & valore confunditur M. I, 44, 45, &c.

XVI Decem annis ante natum Diogenem Cynicum, Athenis paſſim Cynicum pallium geſtabant. Maſt. II pag. 53.

XVII Omnium ſtupidiſſima eſt; quod Senatores Auguſti tempore caligatos fuiſſe probat ex Dionis Lib. XLVIII: vbi milites ſcribit Romam venientes, & ad cauſſam dicendam L. Antonium, & Fuluiam M. Antonij coniugem citantes, ab illis contemptos fuiſſe, & per ludibrium appellatos, *caligatum concilium*, vel *Senatum*. Vnde Salmaſius acutè concludit, Romanos Senatores iam tum caligas habuiſſe. Maſt. II. 43.

Hæc ſunt præcipua, Salmaſi, deliriorum, & abſurditatum capita, ob quæ dignus habitus es, in quem duo valentes Maſtigophori lora ſua, & flagella diſtringerent. Ad ea dum te paras; propediem tertium, quartum, quintum, &, ſi vltrà inſanire pergis, centeſimum etiam Maſtigophorũ annuum expecta. Quicquid librorum, commentariorum, ac farraginum edideris ſolitis ineptiis, maledictis, & proborum ac literatorum inſectationibus refertum; è veſtigio lorarij duplo iſtis valentiores, & implacabiliores in terga tua ſæuient. Vale, & me, vt facere debes, amare perge.

HORATIVS LIB. I. SERM. SAT. I.

Stylus hic non læſerit vltrò
Quenquam animantẽ, & me veluti cuſtodiet enſis

Vagina tectus: quem cur diſtringere coner
Tutus ab infeſtis lationibus? ô pater, & rex
Iuppiter, vt pereat poſitum rubigine telum,
Nec quiſquam noceat cupido mihi pacis. at ille
Qui me commorit (melius non tangere, clamo)
Flebit, & inſignis tota cantabitur vrbe.

ERRATA QVÆDAM in Maſtigophoro primo.

P*Ag.27.ver.riginatione: ſcr.* ἀκανθολογία. *Pag. 45. ver. 2. ſcr.* integram argenti marcam. *Pag.47.ver.20.delenda vox* quatuor.